



Acerca de este libro

Esta es una copia digital de un libro que, durante generaciones, se ha conservado en las estanterías de una biblioteca, hasta que Google ha decidido escanearlo como parte de un proyecto que pretende que sea posible descubrir en línea libros de todo el mundo.

Ha sobrevivido tantos años como para que los derechos de autor hayan expirado y el libro pase a ser de dominio público. El que un libro sea de dominio público significa que nunca ha estado protegido por derechos de autor, o bien que el período legal de estos derechos ya ha expirado. Es posible que una misma obra sea de dominio público en unos países y, sin embargo, no lo sea en otros. Los libros de dominio público son nuestras puertas hacia el pasado, suponen un patrimonio histórico, cultural y de conocimientos que, a menudo, resulta difícil de descubrir.

Todas las anotaciones, marcas y otras señales en los márgenes que estén presentes en el volumen original aparecerán también en este archivo como testimonio del largo viaje que el libro ha recorrido desde el editor hasta la biblioteca y, finalmente, hasta usted.

Normas de uso

Google se enorgullece de poder colaborar con distintas bibliotecas para digitalizar los materiales de dominio público a fin de hacerlos accesibles a todo el mundo. Los libros de dominio público son patrimonio de todos, nosotros somos sus humildes guardianes. No obstante, se trata de un trabajo caro. Por este motivo, y para poder ofrecer este recurso, hemos tomado medidas para evitar que se produzca un abuso por parte de terceros con fines comerciales, y hemos incluido restricciones técnicas sobre las solicitudes automatizadas.

Asimismo, le pedimos que:

- + *Haga un uso exclusivamente no comercial de estos archivos* Hemos diseñado la Búsqueda de libros de Google para el uso de particulares; como tal, le pedimos que utilice estos archivos con fines personales, y no comerciales.
- + *No envíe solicitudes automatizadas* Por favor, no envíe solicitudes automatizadas de ningún tipo al sistema de Google. Si está llevando a cabo una investigación sobre traducción automática, reconocimiento óptico de caracteres u otros campos para los que resulte útil disfrutar de acceso a una gran cantidad de texto, por favor, envíenos un mensaje. Fomentamos el uso de materiales de dominio público con estos propósitos y seguro que podremos ayudarle.
- + *Conserve la atribución* La filigrana de Google que verá en todos los archivos es fundamental para informar a los usuarios sobre este proyecto y ayudarles a encontrar materiales adicionales en la Búsqueda de libros de Google. Por favor, no la elimine.
- + *Manténgase siempre dentro de la legalidad* Sea cual sea el uso que haga de estos materiales, recuerde que es responsable de asegurarse de que todo lo que hace es legal. No dé por sentado que, por el hecho de que una obra se considere de dominio público para los usuarios de los Estados Unidos, lo será también para los usuarios de otros países. La legislación sobre derechos de autor varía de un país a otro, y no podemos facilitar información sobre si está permitido un uso específico de algún libro. Por favor, no suponga que la aparición de un libro en nuestro programa significa que se puede utilizar de igual manera en todo el mundo. La responsabilidad ante la infracción de los derechos de autor puede ser muy grave.

Acerca de la Búsqueda de libros de Google

El objetivo de Google consiste en organizar información procedente de todo el mundo y hacerla accesible y útil de forma universal. El programa de Búsqueda de libros de Google ayuda a los lectores a descubrir los libros de todo el mundo a la vez que ayuda a autores y editores a llegar a nuevas audiencias. Podrá realizar búsquedas en el texto completo de este libro en la web, en la página <http://books.google.com>

1-3

<36641327400017

<36641327400017

Bayer. Staatsbibliothek

P. F. HERCULANI OBERRAUCH
ORDIN. MINOR. REFORMAT. PROV. TYROL.
IN UNIVERSITATE OENIPONTANA
SACRÆ THEOLOGIÆ MORUM
DOCTORIS PUBLICI

INSTITUTIONES
JUSTITIÆ CHRISTIANÆ,

SEU

THEOLOGIA

MORALIS

PARS TERTIA.

*Sine modo! - - - Sic enim decet nos
implere omnem justitiam. MATTH.
III. 15.*




PERMISSU SUPERIORUM.

OENIPONTE,
IMPENSIS FELICIANI FISCHER
BIBLIOPOLÆ IBIDEM.

ANNO MDCCCLXXV.

Bayer. Staats-
Bibliothek
München.

**Bayerische
Staatsbibliothek
München**



O R D O

TRACTATUUM ET CAPITUM,
IN TERTIO HOC OPERIS TO-
MULO OCCURRENTIUM



TRACTATUS XII.

*De Sacramento Extremæ Unctionis , &
de Sacramento Ordinis.*

	pag.
CAPUT I. De Natura Extremæ Unctionis.	1
CAPUT II. De Ministro , recipiente , seu subjecto, & effectibus hujus Sacramenti.	5
CAPUT III. De Natura Sacramenti Ordi- nis generatim spectati.	12
CAPUT IV. De diversis Ordinum specie- bus.	15
CAPUT V. De Ministro Sacramenti Ordi- nis.	38
CAPUT VI. De Subjecto , id est de reci- piente Sacramentum Ordinis.	42

	pag.
CAPUT VII. De irregularitate ex delicto.	46
CAPUT VIII. De irregularitate ex defectu, de iis maxime, quæ ex defectu morali oriri solent.	56
CAPUT IX. De irregularitatibus, quæ ex defectu naturali oriuntur.	72
CAPUT X. De effectibus SS. Ordinum.	75

TRACTATUS XIII.

De Sacramento Matrimonii.

CAPUT I. De consensu ad sponsalia requi- sito.	93
CAPUT II. De Effectibus Sponsaliorum.	100
CAPUT III. De adversis Sponsaliorum, seu de legitimis causis eadem dissolvendi.	105
CAPUT IV. De Natura Matrimonii, prout est septimum novæ legis Sacramentum.	115
CAPUT V. De Ministro, & de recipiente seu Subiecto Matrimonii: ubi de impe- dimentis impediens.	130
CAPUT VI. De iis Impedimentis Matrimo- nium dirimentibus, quæ ex jure naturæ, aut divino arbitrario descendunt.	138
CAPUT VII. De Impedimentis jure huma- no Matrimonium dirimentibus, & quidem de iis, quorum titulus proxime ad Ma- trimonium pertinet.	147

CA-

CAPUT VIII. De reliquis impedimentis dirimentibus.	157
CAPUT IX. De ea ratione, qua recensita huscusque impedimenta per legitimam potestatem tolluntur.	169
CAPUT X. De Statu conjugii, seu de jure ex contractu Matrimonii nato.	184
CAPUT XI. De iis, quæ juri conjugii contraria sunt.	191
CAPUT XII. Causæ ad divortium, & separationem a familia sufficientes referuntur.	198
CAPUT XIII. De usu Matrimonii, & prole inde nata.	105

TRACTATUS XIV.

De Ecclesia Christi.

CAPUT I. De origine Ecclesiæ.	211
CAPUT II. De iis vinculis, quibus membra militantis Ecclesiæ in corpus aliquod speciatim colligantur.	219
CAPUT III. De iis, qui Ecclesiæ præfunt.	227
CAPUT IV. De variis Ordinibus eorum, qui Ecclesiæ præfunt, eorumque obligationibus prævie ad suscipienda sacra munera requisitis.	233
CAPUT V. De obligationibus eorum, qui sacra Munera, seu beneficia obtinent.	243

- CAPUT VI. De n~~on~~is emolumentis,
quæ sacrorum Ministris vi muneris capiunt,
maxime quæ ad honorem spectant. - 249
- CAPUT VII. De bonis Fortunæ ad cultum
Ecclesiæ pendit solitis. - - - 260
- CAPUT VIII. De Modis, quibus sacra Mu-
nera acquiruntur. - - - 269
- CAPUT IX. De quibusdam ad Disciplinam
Ecclesiæ pertinentibus. - - - 279

TRACTATUS XV.

De Pietate hominibus debita.

- CAPUT I. De mutuo Pietatis vinculo, qua
Familiæ coalescunt. - - - 288
- CAPUT II. De officiis Parentum in filios. 291
- CAPUT III. De officiis Filiorum in Paren-
tes suos. - - - 297
- CAPUT IV. De Pietatis officiis, quæ qui-
buscunque hominibus pro collatis in nos
beneficiis debemus. - - - 305

TRACTATUS XVI.

De Jure, & Justitia in vulgari sensu ac- cepta, seu de officiis ex mutua voluntate natis.

- CAPUT I. De Genuina juris, & ejus, ex
quo nascitur, pacti notione. - - - 311


CAPUT II. De Metu gravi, & iniquo ad contractum seu pactum impellente.	319
CAPUT III. De Errore, ex quo pactum fuit constitutum, item de difficultate illud implendi.	329
CAPUT IV. De illa divisione, qua jus, & proin ipsam justitiam in legalem, distributivam, & commutativam partiuntur.	333
CAPUT V. De divisione juris in reale, & personale.	438
CAPUT VI. De iis rationibus, quibus vinculum justitiæ dissolvitur, quæque sunt causæ a restitutione vi juris Naturæ excusantes.	342

TRACTATUS XVII.


De Legibus.

CAPUT I. De origine Legum civilium.	349
CAPUT II. De Natura legum.	354
CAPUT III. De materia Legum, seu de iis, quæ præcipienda sunt.	361
CAPUT IV. De subjecto Legum, seu de iis, in quos leges feruntur.	368
CAPUT V. De Promulgatione, & acceptatione Legum.	374
CAPUT VI. De iis, quibus Potestas ferendi leges competit.	380

	<i>pag.</i>
CAPUT VII. De effectu Legum, & specialim irritantium. - - - -	384
CAPUT VIII. De Legis præcipientis vel prohibentis, item de Legis poenalis effectibus. - - - -	389
CAPUT IX. De Interpretatione Legum generatim consideratarum. - - - -	397
CAPUT X. De legitima interpretatione quarundam Legum specialium. - - - -	407
CAPUT XI. De cessatione Legum. - - - -	414
CAPUT XII. De Consuetudine. - - - -	427



TRA.



TRACTATUS XII.
DE SACRAMENTO EXTREMÆ
UNCTIONIS, ET DE SACRA-
MENTO ORDINIS.

C A P U T I.

De Natura Extremæ Unctionis.

- §. 841. Sacramentum *Extremæ Unctionis* à nobis quantum ad naturam, ministrum, subiectum, & effectus consideratur.
- §. 842. Ex ejus jam definitione
- §. 843. Erulur *Imo*, oleum olivarum esse ejus materiam remotam: unctionem vero legitime factam esse materiam proximam.
- §. 844. *Ido*. Formam hujus Sacramenti in precibus à Sacerdote fundendis consistere.

§. 841.

Cum Sacramentum EXTREMÆ UNCTIONIS a Patribus existimatum sit consummativum Pœnitentiæ: TRIDENTINUM Sess. XIV. C. I. Pœnitentiæ vero Sacramenti Pars III. Th. Mor. A cra-

cramentum non nisi post Resurrectionem suam sit a CHRISTO institutum: conjicere licet, hoc, de quo nunc agere incipimus, Myſterium non nisi post mortem DOMINI ab eodem conditum fuisse. Juvat vero de iis, quibus hoc Sacramentum intrinsecus constat, seu de *natura* illius; tum vero de aliis illud extrinsecus concernentibus, scilicet de *Ministro, subjecto, & effectibus* illius, recepto jam more tractare. Et definitionem Extremæ Unctionis sequentem statuo:

§. 842.

Extréma Unctio est Sacramentum nove legis, quod unctioe oleo benedictio facta, & certa deprecationis formula, a Sacerdote homini usum rationis aliquando adepto, & periculose decumbenti, ad felicem mortem, vel etiam ad salutem corporis ministratur. Neque hanc definitionem longiusculam quidem, ab aliquo mag-nopere improbandam esse censeo. Ex qua etiam non inepte

§. 843.

Infertur *Imo. materiam remotam* hujus Sacramenti esse *oleum olivarum* ab Episcopo benedictum *, unctioem vero hoc oleo

oleo legitime factam esse ejusdem *materiam proximam*. **

* Quanta sit necessitas, ut oleum prævie ab Episcopo sit benedictum, non satis convenit inter DOCTORES. Gravem desuper existere legem nemo ambigit: quare abs dubio lethalem culpam committeret, qui oleum profanum, vel oleum Catechumenorum, vel chrisma Confirmationis (utpotè quorum consecratio huc non spectat) ad Extremam Unctionem adhiberet: idque eo magis verum, quod multi, & graves asserant, hanc olei benedictionem esse de *essentia Sacramenti*; id est, sine ea Sacramentum simpliciter nullum, & irritum fore, nisi gravioribus verbis CONCIL. TRIDENT. *Sess. XIV. c. 1. Intellexit enim Ecclesia, materiam esse oleum ab Episcopo benedictum &c.*

Quod si oleum benedictum deficere incipiat; ita ut aliud benedictum haberi non queat, *modico oleo non benedicto, in minore quantitate superinfuso reparari potest. Ita Ritual. Roman.*

Antequam oleum non sacratum admisceatur, videtur magis oleum benedictum ex priorè anno forte superstes adhibendum esse: licet alias ex præcepto CLEMENT. VIII, atque vi ipsius consuetudinis tempore paschali oleum renovandum, & priori amoto non nisi recens adhibere liceat.

** Ex decreto unionis CONCIL. FLORENTIN. debent inungi *oculi; aures; nares; os; & manus; imo pedes, & venter*: sed duo ultima hæc organa in fæminis *semper*; & in maribus *pro arbitrio* omittuntur; nisi consuetudo locorum alieubi aliud præcipiat. Saltem si æger *com-*
A B
modè

mode moveri nequeat, renes non solent inungi.

Quinque vero priores sensus omnino ungi debent, adeo, ut aliqui quinque Unctiones istas de necessitate Sacramenti esse velint. Verius tamen est, hic tantum latere præceptum, grave tamen: eoquod Ecclesia græca soleat frontem, mentum, & duas genas inungere. Neque enim tam facile censendum est, CHRISTUM designationem, aut notabilem mutationem materiæ circa hoc Sacramentum Ecclesiæ permisisse; aut hanc tam levi negotio mutationem induxisse. Quid enim intereit admodum, an istæ, aliæve partes inungantur, ut propterea tanta, & ipsam vim Sacramenti seu ejus valorem concernens mutatio debuerit induci? Quare

Unica tantum Unctio censetur esse necessaria, & in necessitate e. g. ægro jamjam expirante adhibenda, saltem sub conditione, *si valitura sit*. Ubi reliquorum sensuum formulæ in unam conjunguntur: e. g. *quidquid per visum, auditum, odoratum &c. deliquisti.*

Illud facile omnibus certum erit, quod ordo in ungendis sensibus servandus, & ipsæ Unctiones in formam crucis faciendæ ad solum ritum pertineant.

§. 844.

Ex nostra definitione §. 842 eruitur *II^{do}*. *Formam* hujus Sacramenti, necessario debere esse *deprecantem*, seu in modum *precum* proferendam *. Estque ex moderna Eccle-

Ecclesiarum nostrarum disciplina sequens :
*Per istam sanctam Unctionem ; & suam
 piissimam misericordiam indulgeat tibi DE-
 US, quidquid per visum (auditum, odo-
 ratum &c.) reliquisti. ***

* Ita colligitur ex ipso Apost. JACOBO, per quem hoc Sacramentum promulgatum fuisse TRIDENTIN. *Sess. XIV. Can. I.* definit. ita autem habet APOSTOLUS in sua epistola catholica c. V. 14. : *Infirmatur quis in vobis, inducat Presbyteros Ecclesie, & orent super eum . . & oratio fidei salvabit infirmum &c.*

** Non tamen abscisse ista verba, sed preces generatim aliquæ ex institutione divina requiri videntur. Licet ritus ab Ecclesia definitus, seu præscriptus per omnia sequendus sit.

C A P U T II.

De Ministro, recipiente, seu sub- jecto, & effectibus hujus Sacramenti.

- §. 845. Verum ex definitione eadem §. 842 sequitur *IIIto* Sacerdotem esse hujus Mysterii *Ministrum* ; &
 §. 846. *IVto*. Subjectum ejusdem esse hominem *rationis* aliquando *capacem*, & modo *periculose decumbentem*.
 §. 847. Item, & *Vto*. *gratiam* esse hujus Sacramenti cum aliis Sacramentis *communem* ;
 §. 848. Et, quod est *VItum*, *robur* ad ultimum *agonem*, *diversam peccatorum remissionem*, ac *salutem* aliquando etiam ipsius *corporis* esse *speciales* ejusdem Sacramenti *effectus*.

§. 845.

Explicata *natura* Extremæ Uñtionis, expedienda veniunt, quæ illud *extrinsecus* concernunt §. 841, quæque magnam partem, nec inconcinne adeo ex longiore ejusdem definitione inferuntur. Et *III^o* quidem hujus Sacramenti *Ministrum* esse *Sacerdotem* * nec alium quemquam ad illud efficaciter conferendum sufficere. **

* Ex institutione tamen Ecclesiæ, & sic de præcepto, absque de peccato, & injuria Parocho illata nullus Sacerdos hoc Sacramentum ministrare potest, *Clementin. 1. §. 1. de Privileg.* nisi habet a Parocho licentiam *expressam*, vel *presumptam*: id est, nisi Parochus verbis, aut aliis signis facultatem concedat, aut nisi qui ex circumstantiis sibi possit persuadere, Parochum pro hoc casu non invitum fore: e. g. in casu necessitatis, & si alias æger absque hoc Sacramento fors obiturus esset.

Illud tamen grave, & sub lethalis noxæ incurrendæ periculo stringens officium Parocho, & omnibus Parochi munus gerentibus incumbit, ut hoc Sacramentum petentibus ministrant, nisi *specialis* molestia, e. g. periculum a peste imminens (prout multi & graves opinantur) hanc obligationem relaxet. Ubi tamen quidam arbitrantur, *aliquando* nec periculum propinquum imminentis, gravis mali e. g. tempore pestis Parochum ab hoc officio eximere. Est autem sequens, & *specialis* casus: quidam sensibus omnibus destitutus, & de cujus statu gratiæ certa notitia non potest haberi, versatur.

tur in propinquo mortis periculo. Huic jam Extrema Unctio præ Sacramento Pœnitentiæ certius proderit. Si enim imperfectum dolorem concipiat, de Confessione vero non cogitet, neque Sacerdotem adesse, utpote sensibus omnibus captus, advertat; vel etsi id resciat, si ambiguum tale confessionis genus, quod timide defendimus, reapse ad absolutionem non sufficiat: in hoc inquam casu hoc Sacramentum præ ipsa pœnitentia facilius gratiam restituit. Ad hoc enim nil nisi imperfectus dolor, & voluntas illud suscipiendi vel semel per vitæ decursum concepta, & in proposito pie moriendi facile contenta sufficit; ad pœnitentiam vero requiritur voluntas confitendi, atque etiam ipsa aliqua (& nescimus qualis sufficiat) Confessio.

Per hæc tamen nolim negare, sed potius omnimodis suadere, ut ægrotus sensibus omnibus destitutus sub conditione absolvatur; imo etiam iterato absolvatur. Debet tamen ad dolorem, & confessionem qualemcunque per respirationem, aut quocunque signo faciendam excitari. Vel poterit Sacerdos vitam antea christianæ actam pro dubia saltem accusatione acceptare.

* Ita definit CONCIL. TRIDENTIN. *Sess. XIV. Canon. IV.* Fuitque semper Ecclesiæ sensus,

§. 846.

In ipsa definitione *IV^{to}* hujus Sacramenti *subjectum*, id est *ille*, qui illud suscipiendum habet, ostenditur; estque *homo usum rationis aliquando adeptus, & ex morbo de vita periclitans.* Ut adeo ab

usu hujus Sacramenti excludantur omnes, qui *nunquam peccarunt* *. Prout etiam illi, qui equidem de vita, sed *non ex morbo* periclitantur **. Et quia ex morbo sæpius de vita periclitari potest, vel ex hoc ipso apparet, hoc Sacramentum ab eodem homine sæpius recipi posse. ***

* Quales quidem ex adultis, seu usum rationis aliquando adeptis fors erit nullus; excepta BEATISSIMA VIRGINE, ET MATRE DEI, de qua CONCIL. TRIDENT. *Sess. VI. Can. XXIII* testatur, Ecclesiam tenere, quod eandem nullum unquam vel *veniale* peccatum infecerit. Unde hoc Sacramentum Pueris septennio majoribus, etsi sacram Synaxin nunquam perceperint, abs dubio ministrari potest.

** Atque ideo militibus ad prælium, & reis ad ultimum supplicium euntibus Extrema Unctio non potest, vel saltem non solet impertiri. Aliud de senibus absque speciali morbo mortis appropinquantibus, utpote quibus senectus tanta verissimus est morbus.

*** Unde periculum mortis sive ex diversis, sive ex eodem morbo iterato adeuntibus, pluries hoc pie moriendi subsidium impendi potest: dummodo prius moriendi periculum aliquando cessaverit. Ubi hoc quoque addendum, quod non requiratur extremum periculum, sed quod sufficiat probabile: vel si ita vis, probabitur. Videtur autem sufficere simplex periculum: eoquod CONCIL. FLORENTIN. edicat, hoc Sacramentum competere illi, *de cujus morte timetur*. Plus non videtur requirere TRIDENTIN. *Sess. XIV, cap. III. Declaratur etiam esse hanc*

hanc Unctionem infirmis adhibendam, illis vero præsertim, qui tam periculose decumbunt, ut in exitu vitæ constituti videantur,

Hic quoque plerumque docent, non dari gravem obligationem hoc Sacramentum suscipiendi. Et quidem jure divino arbitrario id non præcipi, facile concesserim. An vero data facili opportunitate ad se tanto subsidio munendum Caritas, & pietas in seipsum graviter urgeat in hoc casu, alia est quæstio, nec adeo levis, ut puto. Nam electio unius præ alio nunquam est in arbitrio nostro §. 57. Molestia in suscipiendo hoc Sacramento est levis (nam casum magnæ difficultatis nolim huc referre) contra vero utilitas & necessitas est magna, testante CONCILIO TRIDENTIN. *Sess. XIV. in proem. ad Extrem. Unction. Extremæ Unctionis Sacramento (CHRISTUS) finem vitæ tanquam firmissimo quodam præsidio munivit. Nam etsi adversarius noster occasiones per omnem vitam quærat, & capiet, ut devorare animas nostras quoquomodo possit: nullum tamen tempus est, quo vehementius ille omnes suæ versutiæ nervos intendat, ad perdendos nos penitus, & a fiducia etiam, si possit, divinæ misericordiæ deturbandos, quam cum impendere nobis exitum vitæ perspicit.*

Jam dato, quod omnibus actionibus aliqua lex sit scripta §. 57, attenta hujus Mysterii facilitate, utilitate, & necessitate æquus rerum æstimator, illud abs culpa negligi posse, non facile dixerit. Præcipue cum cuicumque homini omne officium debeatur, nisi altior quædam lex id prohibeat §. 296.

§. 847.

Agentes de *effectibus* hujus Sacramenti eo ipso, quod definiatur esse *nova legis Sacramentum* §. 842, certa consecutione habemus *Vto.* quod conferat *augmentum* §. 555, 557. Vel forte etiam *initium* gratiæ sanctificantis §. 578 *, Et quod insuper *gratias* actuales, seu pie vivendi auxilia efficiat §. 580.

§. 848.

Cum demum *ad felicem mortem, vel etiam ad salutem corporis ministratur* §. 842 facile, & ULTIMO intelligitur hujus Sacramenti effectus *specialis*; scilicet confert robur ad difficilem illam luctam feliciter obeundam *; delet ex propria virtute peccata leviora ** & quorumcunque peccatorum noxias reliquas, maxime poenas ex iis residuas abstergit ***. Ac demum quandoque reddit salutem corporis, si scilicet ad salutem animæ expedierit, ****

* Ita enim habet CONCIL. TRIDENTIN. de *Extrem. Unct. in proem.* Vocans *firmissimum quoddam præsidium pro fine vitæ.*

** Nam forma hujus Sacramenti id videtur habere: *Indulgat tibi DOMINUS, quidquid per visum &c. deliquisti.* Magis vero verba APOSTOLI ipsius: *C. V. 15. Et si in peccatis sit, remitt-*

remittentur ei. Quæ quidem verba pronius est de ipsis peccatis, quam de poenis eorum intelligere. Idem docet Catechism. Roman. pars. II. c. VI. 14. *Docebunt Pastores, hoc Sacramento gratiam tribui, quæ peccata, & imprimis quidem leviora, & ut communi nomine appellantur, venialia remittit.*

*** Scilicet nimium timorem, animi perturbationem, aliosque peccati effectus: de quib. TRIDENT. C. II. testatur, quod *peccati reliquias abstergat.* Quorum vel maxime spectant pœnæ ex peccato jam remisso *residua*, prout TRIDENTIN. *ead. loc.* habet: *Cujus unctio delicta, siquæ sint adhuc expianda, & peccati reliquias abstergit.*

**** Hoc enim evincunt verba S. JACOB. c. II. *Oratio fidei salvabit infirmum, & alleviabis eum DOMINUS.* Et TRIDENT. Sess. XIV. c. II. *Qua infirmus sublevatus, & morbi incommoda, ac labores levius fert - & sanitatem corpus interdum, ubi salutis animæ expedierit, consequitur.* Sed etiam decretum unionis ex CONCIL. FLORENTIN. habet sequentia: *Effectus hujus Sacramenti est mentis sanatio, & in quantum expedit, ipsius etiam corporis.*

Ut adeo mirum sit, tantarum utilitatum Mysterium non tantum non desiderari ab aliquibus, sed etiam abhorreri, velut mortis nuntium: quasi vero mors remotior fieret ex eo, si pie moriendi, aut etiam vitæ servandæ potens auxilium, idque divinitus institutum, & ex opere operato, id est, ex propria virtute efficax, negligatur.

CAPUT III.

*De Natura Sacramenti Ordinis
generatim spectati.*

- §. 849. *Natura ordinis vel omnibus communis, vel quibusdam specialis esse videtur*
- §. 850. *Ordo tanquam verum Sacramentum.*
- §. 851. *Definitur Sacramentum novæ legis, quo a legitimo Ministro homini hujus mysterii capaci conceditur potestas ad novæ legis Sacrificium, & Augustum Eucharistiæ Sacramentum proxime, vel remote cooperandi.*
Unde
- §. 852. *Hinc Sacramento omnia conveniunt, quæ a §. 555 & seq. de Sacramentis dicta fuerunt.*

§. 849.

Post Sacramentum extremæ unctionis, de SACRAMENTO ORDINIS recepto usu tractamus. De quo jam, prout in plerisque aliis facio, *naturam ipsam*, seu ea *quibus constat*; & rursus alia, quæ *extrinsecus eidem conveniunt*, explicando agam. Sed etiam ipsa natura hujus Sacramenti, seu ordinum saltem aliquo modo est (vel esse videtur *) *communis* omnibus ordinibus; vel singulis est *specialis*.

* Cum enim aliqui Ordines sint a CHRISTO instituti, sintque vera, ac proprii Nominis Sacramenta: alii vero suam *originem* juxta multos soli *Ecclesiæ* debeant; atque nullam efficiendæ gratiæ virtutem habeant, vide §. 855. multi Ordines cum aliis parum, aut nihil commune

mune habebunt, præter nomen, & effectus quosdam canonicos, e. g. ut exinde quis Clericus, & eorum, quæ Clericis ab Ecclesia conceduntur, jurium particeps evadat. Jam

§. 850.

Ordo est verum *Sacramentum* divinitus atque a CHRISTO institutum *. Atque exinde virtute cælitus indita pollens, qua in digno suscipiente gratiam sanctificantem auget, vel forte antea absentem primitus producit ** & varias gratias *actuales*, seu recte agendi auxilia confert.

* Estque certum dogma, definiente id CONCIL. TRIDENT. *Sess. XXIII. Can. III. Siquis dixerit, ordinem sive sacram Ordinationem, non esse vere, ac proprie Sacramentum a CHRISTO DOMINO institutum, vel esse figmentum quoddam humanum, extogitatum a Viris verum ecclesiasticarum imperitis, aut esse tantum ritum quemdam eligendi ministros verbi DEI, & Sacramentorum: anathema sit.* Eadem veritas habetur ex decreto unionis CONCIL. FLORENTIN.

** Est enim *Sacramentum vivorum*, qualia non sunt instituta ad delenda gravia peccata, seu infundendam primam gratiam (licet id aliquando *per accidens* efficere dicantur) sed ad gratiam augendam tantum §. 578 *.

§. 851.

Definitur jam Ordo, quod sit *Sacramentum nove legis, quo a legitimo Ministro*

*nistro, homini hujus mysterii capaci conceditur potestas ad novæ legis tremendum Sacrificium, & Augustum Eucharistiæ Sacramentum proxime vel remote cooperandi. Neque puto, quod aliquis contra hanc definitionem multa possit excipere. **

* Et quidem potestas *consecrandi* abs dubio in ultima cœna fuit instituta per illa verba: *Hoc facite in meam commemorationem* LUC. XXII. 19. Potestas vero *judicandi*, & a peccatis *absolvendi* collata est ipso die Resurrectionis: JOAN. XX. 22, 23 dicit CHRISTUS: *Accipite SPIRITUM SANCTUM; quorum remiseritis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt.* Episcopatus teste S. AUGUSTINO *libr. quæst. vet. Testam. q. 97* conditus est die Ascensionis: id enim verba S. DOCTORIS habere videntur; & sunt sequentia: *Priusquam in caelos ascenderat, imponens manus Apostolis, ordinavit eos Episcopos.* Reliqui Ordines, siquidem divinam habeant institutionem, in cœna ultima, aut certe ante ordinem Presbyteratus fuerint, ut puto, instituti. Est enim hoc non tantum naturæ, sed etiam gratiæ ingenium, ut ab imperfectis incipiens ad perfectiora progrediatur.

§. 852.

Cum itaque Ordo fit *novæ legis Sacramentum* §. 851, hic aliud non infertur, quam quod de Ordine omnia ea intelligenda sint, quæ inde a §. 555 & seq. de Sacramentis in genere disputata, &

§. 850,

§. 850 ex parte aliqua repetita fuerunt. Atque hæc pauca de ordine generatim considerato : nunc fit

CAPUT IV.

De diversis Ordinum speciebus.

- §. 853. Nunc ea, quæ Sacramento Ordinis specialia sunt, tractabuntur. Ordines jam sunt *septem* : inter quos
- §. 854. Præter *Episcopatum*, & *Presbyteratum* probabilissime etiam *Diaconatus* est *Sacramentum*.
- §. 855. Idem non nihil probabilius de *reliquis ordinibus* asseritur.
- §. 856. Primo pro *Ostiaratu* ;
- §. 857. Tum pro *Lectoratu* ;
- §. 858. *Exorcistatu* ,
- §. 859. Et *Acolythatu* : mox vero
- §. 860 Pro *Subdiaconatu* ,
- §. 861. Et *Diaconatus* præmissa definitione ,
- §. 862. Ejus quoque *materia*, & *forma* describitur.
- §. 863. Omnium ordinum certa quadam ratione nobilissimus est *Presbyteratus* , quem
- §. 864. Definimus , quod sit *ordo sacer*, quo *potestas Sacrificium offerendi & christianos a peccatis absolvendi* conceditur. Porro
- §. 865. Hic Ordo *diversas materias & formas* habere videtur. Et quidem
- §. 866. Pro *porrectione instrumentorum* auctoritas CONCILII FLORENTIN. Contra vero
- §. 867. Pro *impositione manuum scriptura* , & *antiquitas* stare videntur ;
- §. 868. Quæ etiam mihi *magis* probatur : ubi demum
- §. 869. De *Episcopatu* paucis agitur.

§. 853.

An tequam de singulis agam, duæ prius quæstiones tractari debent, quarum pri-

prima est, quot sint Ordines. Ad quam responderetur, esse septem *. Ut adeo *prima tonsura* non sit proprii ** nominis Ordo; *Episcopatus* vero simplici Sacerdotio major, pleni Sacerdotii velut altera, ac nova pars, illud demum penitus perficiat, atque absolvat *** §. 863.

* Ita CONCIL. TRIDENT. Sess. XXIII. c. II. *Nam non solum de Sacerdotibus, sed & de Diaconis sacrae Literæ apertam mentionem faciunt - & ab ipso Ecclesiæ initio sequentium ordinum nomina, atque uniuscujusque eorum propria ministeria, Subdiaconi scilicet, Acolyti, Exorcistæ, Lectoris, & Ostiarii in usu fuisse cognoscuntur.*

** Nullo enim solido argumento dignitas Ordinis pro tonsura evincitur. *Nam tonsura est ritus quidam sacer, quod dotensione capillorum, & certa verborum formula quis a conditione laici transfertur in gradum Clericorum.* Ut adeo aliud non sit quam concessio certi cujusdam juris, & aliquod beneficii genus.

Et fors ultimo lis erit de nomine: si enim notionem Ordinis eam statuas, ut Ordo non possit intelligi, absque ut sit Sacramentum; tunc *Tonsuram* hanc ex numero ordinum, omnibus fere consentientibus, excludes. Si vero ordinem aliquem in cætu fidelium statuas, qui non sit Sacramentum, aut divinitus institutus, sed gradus tantum aliquis Auctoritate Ecclesiæ erectus; tunc *Tonsuram* istam ex numero ordinum ægre excludes. Nam est, ut alia omitam, quædam ad Sacerdotium, atque ad ipsum Sacrificium præparatio, habetque diversos, eosque egregios effectus ex jure sacro descendentes.

*** Epi-

*** Episcopatum vero simplici Sacerdotio velut auctuarium accedere, certum dogma est, definiente id CONCIL. TRIDENT. *Sess. XXIII. Can. VII. Siquis dixerit, Episcopos non esse Presbyteris superiores, vel non habere potestatem confirmandi, & ordinandi; vel eam quam habent, illis esse cum Presbyteris communem - - anathema sit.* Neque tamen plures quam septem Ordines adstruere cogimur, nam simplex Sacerdotium; cum Episcopatu unum, eundemque perfectum ordinem absolvit: neque mutuo separabiles sunt: Cum nunquam Episcopatus sine prævio Presbyteratu, licet iste sine illo extare possint.

§. 854.

Altèra quæstio difficilior, magisque controversa: scilicet, an præter Episcopatum; & Presbyteratum; *alii* quoque *Ordines* verà *Sacramenta*, a CHRISTO instituta sint. Et quidem de *Diaconatu* fere omnes consentiunt. Habet enim suffragium ex *C. VI. actuum Apostolorum*, ubi APOSTOLI Diaconos constituisse leguntur; neque solo jussu, aut quacunque ratione, sed imponendo manus, & orationem fundendo, velut materiam & formam etiam hucusque usitatam adhibuerunt. Et licet ex serie historię ibidem descriptę, rei œconomicę potissimum hac designatione videantur fuisse præfecti; egregiam tamen operam sacris Ministeriis eosdem; & ma-

Part III. Th. Mor. **B** xime

xime STEPHANUM, & PHILIPPUM exinde navasse, idem facer liber diversis in locis testatur. *

- * Præterea CONCIL. TRIDENT. Sess. XXIII. Canon VI ægre explicabitur, si nequidem Diaconatui dignitatem Sacramenti asseramus; ait enim: *Siquis dixerit in Ecclesia catholica non esse Hierarchiam divina ordinatione institutam, quæ constat ex Episcopis, Presbyteris, & MINISTRIS; anathema sit.*

§. 855.

Acrius contra *Subdiaconatum*, & *minores ordines* disputatur, & nostra potissimum ætate a plurimis dignitas Sacramenti eisdem abrogatur, quorum eruditæ disceptationes, ubivis facile legendas nolum huc transcribere. Illud mea opinione horum sententiam multum confirmat, quod nec per hos ordines, imo nec per Diaconatum aliqua potestas conferatur, quam Ecclesia non cuicunque suo arbitrio, & absque omni ordine possit conferre. Sic sacra potestas & Baptismum conferendi, SS^{am} Eucharistiam dispensandi, & ad populum solemniter dicendi facultatem Viris idoneis nullo ordine initiatis posset facere. His tamen nequidquam obstantibus, non nihil magis in sententiam asserentem inclinor; malimque dicere, *omnes, etiam minores*

nones Ordines vera esse Sacramenta, habere divinam institutionem, & cum Presbyteratu, & Episcopatu Sacramentum Ordinis integrum constituere. Idque ex mente CONCIL. TRIDENT. *Seff. XXIII.* huic pluries * multum faventis, prout rem serio perpendentibus patebit.

* Maxime vero movet Canon II, qui ita habet: *Siquis dixerit, præter Sacerdotium non esse in Ecclesia catholica ALIOS ORDINES & MAJORES, & MINORES, per quos velut per gradus quosdam, in Sacerdotium tendatur; anathema sit.* Ubi numerus multiplex *alios Ordines* prohibet, ne hunc articulum de solo Diaconatu interpretemur.

„Sed neque potest dici, quod agatur de solis
 „ordinibus quocunque modo consideratis, non
 „verò de divina eorum institutione, quam
 „Ecclesia tanquam fidei articulum noluerit de-
 „finire; imo nec unica vocula de hac ordinum
 „istorum origine mentionem injecit.“ Verum
 nec ego dixerim, hanc opinionem meam, aliorumque definitum dogma esse: imo etiam illud facile largiar, hanc controversiam, ne quidem in Concilio illo in disceptationem venisse.

Sed quia definitum est, dari in Ecclesia *majores, & minores Ordines*, eruitur per aliquam consecutionem theologiam, hos Ordines divinitus fuisse constitutos: nam Ecclesia nihil potest definire, nisi quod per scripturam, aut traditionem revelatum est. Jam ea, quæ ex intervallo Ecclesia suo arbitrio erat constitutura, seu res ad disciplinam pertinentes **CHRISTUS**

B a

STUS

STUS seipso, aut per Apostolos vix revelaverit.

„Id solum posset dici, quod hi Ordines ab
 „Apostolis jam instituti sint, & exinde episto-
 „lis suis canonicis, seu potius traditione, ve-
 „lut alla quædam capita ad meram discipli-
 „nam pertinentia e. g. bigamiam, abstinentiam
 „a sanguine &c. divina quadam revelatione
 „velut imbuerint.“

Sed ex libris & epistolis canonicis, nisi pro Diaconatu, pro reliquis ordinibus vix aliquod poterit exsculpi: sola autem traditione, & quidem *divina* traditione, quæ revelationem constituat, aliquod caput meræ disciplinæ ad nos propagatum fuisse, nullo fors exemplo poterit ostendi. Præterea hæc traditio non propinquius pro humana, quam divina institutione faceret; & multa insuper adversantium argumenta elideret. Sed utique hisce opinionem, non firmam sententiam velim statuere.

§. 856.

Jam materiam, formam, totamque naturam singulorum ordinum explicare aggredior. Itaque OSTIARIATUS definitur, quod sit *ordo ecclesiasticus, quo conceditur potestas fores Ecclesiæ custodiendi, claudendi, aperiendi; cymbalum pulsandi &c.* Ejus *materia remota* sunt claves Ecclesiæ; *proxima* vero earundem *traditio* ab Episcopo facta. *Forma* sunt sequentia verba: *Sic agite, quasi rationem DEO red-*

*reddituri, pro iis rebus, quæ his clavibus recluduntur. **

* Neque enim in hoc Ordine aliud intervenit, quod rationem materiæ & formæ habere posset: unde in statuenda hac quali demumcunque materia, & forma facile convenit inter Doctores.

§. 857.

LECTORATUS, id est secundus inter minores, Ordo definitur esse *Ordo ecclesiasticus, quo potestas prophetias, seu vaticinia legendi, & Psalmos in Ecclesia canendi tribuitur.* Licet hæc facultas etiam sola prima tonsura initiato competere videatur, qui proin Psalmista vocari solet: hoc tamen nomen Lectori tribuitur a S. ISIDOR. *lib. VII. Etymolog. c. XII.* Hujus Ordinis *materia remota est liber prophetiarum; proxima hujus libri traditio; forma demum: Accipite, & estote verbi DEI relatores, habituri, si fideliter, & utiliter impleveritis officium vestrum, partem cum iis, qui Verbum DEI bene administraverunt ab initio.*

§. 858.

Subsequitur tertius ordo, seu EXORCISTATUS, *qui est ordo ecclesiasticus, quo super energumenos, id est, a malo*

B 3

dæmo.

dæmone possessos *manus imponendi*, eosque aptos reddendi, ut sacris interesse queant, facultas tribuitur. Materia eius remota est liber exorcismorum; porrectio ejusdem habetur pro materia proxima; pro forma accipiuntur verba sequentia: *Accipite, & commendate memorie, & habete potestatem imponendi manus super energumenos, sive baptizatos, sive cathecumenos.* *

- * Pro afferenda hujus Ordinis materia, & forma (idem quantum ad ordinem *Lecloratus*) alia non suppetunt, quam quæ ad ordinem Ostiarius § 856 * dicebam.

§. 859.

Quartus inter minores ordines est Acolythatus: qui potest definiri *Ordo ecclesiasticus, quo potestas ad Sacrificium luminaria, & vinum cum aqua preparandi confertur.* Habet autem duplicem materiam remotam, & utriusque porrectionem pro duplici materia proxima *. Prior est *candelabrum cum cereo* absque tamen flamma, aut lumine tradendum: quod Episcopus porrigens ait: *Accipite candelabrum cum cereo, & sciatis vos ad accedenda Ecclesie luminaria mancipari.* Quæ quidem verba vicem formæ sustinent. . . . Altera materia est *urceolus vacuus*, quem
Epi-

Episcopus *tradit*, dicendo: *Accipite u-*
cælum ad suggerendum vinum, & aquam
in Eucharistiam sanguinis CHRISTI,
*in nomine DOMINI, Amen. ***

* Puta, siquidem hi Ordines sint Sacramenta: alias enim essent merus ritus sacer ab Ecclesia institutus, nullam interiorem efficaciam habens, & tantum demum valens, quantum fides Ecclesiæ, & pietas recipientis merentur. Suntque hæ vires, & effectus, quales *ex opere operantis* vocamus. Simile obtinet quoad omnia *sacramentalia*, id est ea, quæ ex sola Ecclesiæ auctoritate, & precibus sunt sacra, prout aqua lustralis, palmæ, aliæque res benedictæ.

** An in hoc, & aliis subsequens ordinibus prima, vel secunda, vel demum utraque materia sit præcipua, ac necessaria disputatur. Quantum ad Acolythatum utriusque materiæ jam meminit Concil. Carthaginense IV.

§. 860.

Ordines minores excipit, primus inter sacros, seu majores ordines scilicet SUBDIACONATUS, qui quidem humana primum institutione sacer * est factus, qualis antea non fuerat **. Definitionem ejus interrogati respondere solemus: *Est Ordo sacer, quo potestas solemniter cantandi epistolam, & aquam vino ad Sacrificium miscendi *** conceditur.* Cujus proin ca-

lix vacuus cum patena vacua *materia* est: qualem in hoc Sacramento esse volunt alii librum epistolarum. Forma ad traditionem calicis proferri solita est sequens: *Videte, cujus ministerium vobis traditur; ideo vos admoneo, ut ita vos exhibeatis, ut DEO placere possitis.*

* Hic porro Ordo cum Diaconatu, Presbyteratu, ex eo potissimum sacer dicitur, quod hoc suscepto, & emisso voto solemnī castitatis, non amplius detur reditus ad statum laicorum, id est, ad vitæ genus profanum: quale tamen amplecti iis manet liberum, qui solis minoribus fuerunt initiati.

** Subdiaconatus enim circa ætatem INNOCENTII IIII primum ordinibus sacris accensus fuit per omnia; nam teste THOMASINO *de Disciplin. ecclesiast. tom. II. part. I. lib. I. c. 26.* per undecim sæcula pro Ordine minore habebatur. Licet jam S. GREGOR. MAGN. eidem cœlibatum conjunxerit: URBANUS dein IIus concesserit, ut Subdiaconus in necessitate posset in Episcopum elegeri. Ultimum tandem auctuarium adjecit INNOCENT. IIIIus statuens, ut jure ordinario, & absque necessitate Subdiaconus in Episcopum assumi posset. Prout habet *Auctor conferent. Luxon. tom. VIII conferent. IV.*

*** De ejus obligationibus e. g. colendi castitatem, deferendi vestitum &c. agam alibi.

§. 861.

DIACONATUS jam definitur *ordo sacer,* quo ad *Sacrificium Misse solemniter cantandi Evangelium, & Sacerdoti in eodem proxime ministrandi potestas tribuitur* *. Licet etiam alia officia ex jure saltem ecclesiastico sibi competentia habeat, **

* Hic & ab ipsis divinis literis *Aëtorum Vko, Item ad Philipp. I. 1. & I ad Timoth. III. 8, & 12; Diaconi sint unius uxoris Viri: testimonium habet. Eundem recensent antiquissima Ecclesiæ monumenta. Sic S. IGNATIUS ejus meminuit epistola ad Smirnes. Concilium Antiochen. de anno 272 & Laodicense anno 319. Cumque conferatur per manus impositionem SPIRITUS S., specialem, ac præ omnibus hucusque recensitis ordinibus probabiliorem Sacramenti notam habet.*

** Ad Diaconum enim pertinet solemniter Baptismum conferre, SSsmam EUCHARISTIAM dispensare, concionari &c. hæcque saltem tunc, si Sacerdotis mandato ad ista exequenda constituitur.

§. 862.

Verum hic quoque Ordo *duplicem materiam & formam* vel habet, vel habere videtur. Et altera quidem est liber Evangelia continens, sub cujus *traditione* Episcopus dicit: *Accipite potestatem legendi Evangelium in Ecclesia Dei tam*

B 5

pro

pro vivis, quam pro defunctis in nomine DOMINI. Alia vero materia remota est manus Episcopi, cujus impositio est materia proxima: verba vero ab Episcopo pronuntiari solita sunt forma; sunt autem sequentia: *Accipe SPIRITUM SANCTUM ad robur, & ad resistendum diabolo, & tentationibus ejus; in nomine DOMINI.* An vero utraque divinam habeat institutionem, Theologi rursus disputant.

§. 863.

Succedit jam, atque ex commemoratis hucusque ordinibus toto vertice eminet SACERDOTIUM novæ legis, seu PRESBYTERATUS, quem vocamus. Ad quem reliqui omnes ordines comparati sunt; utpote cui servire, ac velut decoris, ac ornatus causa accedere debent. Adeo ut licet Episcopatus simplici Sacerdotio major sit §. 853 ***, illud tamen ipsum auctuarium Sacerdotio inserviat *. Atque ut Episcopi Presbyteris multo inferiores forent; nisi simul Presbyteri essent, & potestate sacrificandi eminent.

* Scilicet ut ministri habeantur, qui Presbyteros creent. Licet vero Episcopis facultas Sacramentum Confirmationis etiam vi Ordinis competat, CONCIL. TRIDENT. *Sess. XXIII.*
Canon

Canon VII. hæc tamen facultas in Episcopo non est præcipua, & insuper simplici etiam Sacerdoti committi potest, §. 617.

§. 864.

Est ergo *Presbyteratus ordo sacer* (& utique etiam certum Sacramentum) quo potestas novæ legis Sacrificium offerendi, & fideles a peccatis absolvendi conceditur. Potestas summa, ac plane divina, cui parem nec Angeli habent! de ipsa tamen definitionis bonitate nemo facile dubitaverit.

§. 865.

Hic porro Ordo nescio, quot materias, & formas habere videtur: nam aliquando manus supra caput initiandi suspenduntur: alia vice manus simpliciter, & absque ulla formula eidem imprimuntur, mox patena cum pane, & calix cum vino traduntur: denique ad finem manus rursus imponuntur, addita rursus certa verborum forma. Quare quod facile intelligitur, ingens de legitima materia, & forma inter doctos est concertatio. Et quidem medio abhinc ævo communis ferebat sententia, præcipuam materiam esse *patenam cum hostia*, seu pane consecrando, & calicem cum vino itidem consecrando. *Forma* vero
huc

huc pertinens sunt verba sequentia: *Acci-
pe potestatem offerendi Sacrificium DEO,
Missasque celebrandi tam pro vivis, quam
pro defunctis, in nomine DOMINI,
Amen.* Atque hinc in novæ legis Sacer-
dotem, & in Sacrificii nostri incruenti mi-
nistrum constitui censebatur prioris ævi sen-
tentia fere communi. Potestatem vero al-
teram, qua scilicet Sacerdotes fori inte-
rioris iudices, atque in negotio remitten-
dorum peccatorum, & Sacramenti Pœni-
tentia ministri initiantur, sequenti ritu con-
ferri arbitramur: ad finem scilicet Lytur-
giæ, seu Missæ initiando rursus imponun-
tur manus ab Episcopo, addita sequenti
formula: *Accipe SPIRITUM S. quo-
rum remiseras peccata, remittuntur eis,
& quorum retinueris, retenta sunt.*

§. 866.

Atque hæc sententiâ ingens robur acci-
pit ex CONCIL. FLORENT., seu ex
decreto EUGENII saltem in eodem edito,
quod ita habet: *Sextum Sacramentum est
Ordinis, cujus materia est illud, per cu-
jus traditionem confertur ordo, sicut Pres-
byteratus traditur per calicis cum vino,
& patenæ cum pane porrectionem.*

§. 867.

§. 867.

Ast scriptura de sola impositione manuum loquitur, prout *I. ad Thimoth. V. 22.* Item eadem epistola *IV. 14.* ubi ita habet: *Noli negligere gratiam, que in te est, que data est tibi per prophetiam, cum impositione manuum Presbyterii. Concil. Carthag. IV. celebrat anno 398. Canon. III.* ita docet: *Presbyter cum ordinatur, Episcopo eum benedicente, & manum supra caput ejus tenente, etiam omnes Presbyteri, qui presentes sunt, manus suas juxta manum Episcopi super caput illius teneant* *. Sed & Patres tam latini **, quam græci quoque ***. Denique *Ritualia, Pontificalia, & Sacramentaria* antiquiora de sola impositione manuum loquuntur. Accedit, quod græca Ecclesia etiam nostra ætate, Romæ quoque, per solam impositionem manuum ordinem Presbyteratus conferre soleat. Quod tamen Ecclesia latina minime accusat, imo tacite probat; dum id tollerat non tantum in *unicis*, sed etiam in iis, qui *tristi schismate* involuti sunt, dum ex eo ad unionem redeuntés in suo gradu consistere, & sacris ministeriis fungi absque nova initiatione permittit.

* Hæc videntur innuere Ordinem Sacerdotii conferri per illum ritum, quo manus super caput
novi

novi Sacerdotis suspenduntur, & aliqua precatiuncula recitatur: non vero quando manus simpliciter capiti imprimuntur; cui tamen ritul moderni plerumque favent.

** Vide S. HIERONYM. in ISAI. LVIII, laudatur etiam desuper S. ISIDORUS, ALCUINUS &c.

*** Id habet Auctor constitut. apostolicar. S. DIONYSIUS, seu quiscunque Auctor libri de Hierarchia ecclesiast. THEODORET. *Histor. Relig. c. XV.*

§. 868.

Si in erudita hac concertatione liceat propriam opinionem adscribere: non nihil magis inclinarer in eam sententiam, quæ aliquam *impositionem manuum* pro hujus Sacramenti * materia statuit, utpote quæ gravioribus momentis niti videtur. **

* Idem & per easdem fere rationes dicendum videtur de ordine Diaconatus.

** Tanta enim antiquitatis, & utriusque latinæ scilicet, & græcæ Ecclesiæ consensus gravissimum argumentum suppeditat. An vero Ecclesia acceperit facultatem a CHRISTO materiam, & formam in specie infima, prout loquimur, definiendi, fors absque piaculo licebit dubitare: & si hanc facultatem accepit, vix poterit assignari ratio, ex qua tantam mutationem inducere voluerit: ut adeo etiam nunc perseverare videatur, quod quondam certo obtinuit.

Decre-

Decetum EUGENII grave & molestum est admodum sententiæ huic. Noluerit tamen Pontifex ibi dogma statuere, sed eam potius sententiam referre, quæ ea ætate apud omnes forte Latinos obtinebat. Alii alias rationes ad tanti argumenti vim mitigandam inveniunt: omnes tamen facile fatebimur, causam nostram minime hucusque evictam esse.

§. 869.

Ordo denique EPISCOPATUS definiri debet, quod sit *ordo sacer, quo Presbytero confertur potestas alios Ordines quoscunque, & Sacramentum Confirmationis potestate propria * conferendi*. Ejus materia est impositio manuum ** a tribus Episcopis plerumque *** facienda. ****

* Nam ex concessione Pontificia etiam simplices Sacerdotes hujus Sacramenti Ministri possunt effici, §. 617.

** Huic, id est, in initiatione Episcopi adhibendæ manuum impositioni magis favet Auctoritas APOSTOLI I *Timoth.* §. 857 laudata. Videtur enim TIMOTHEUM admonere Ordinis Episcopalis, quo utique TIMOTHEUS a PAULO insignitus erat.

*** Ex concessione enim Pontificia aliquando Episcopus ab altero, sed unico *Episcopo*, accedentibus tamen aliis *Sacerdotibus*, etli mitra insignibus, *simplicibus* tamen, supremo hoc ordine, id est Episcopatu initiatur.

**** Pro

*** Pro altera, & minus principali Episcopatus materia aliqui statuunt duplicem Unctionem illam, qua scilicet caput, & manus novi Episcopi inunguntur. Id tamen ex ratione minus solida asserere videntur.

C A P U T V.

De Ministro Sacramenti Ordinis.

- §. 870. *Minister* ordinum aliquibus ad *licitam*; aliis vero ad *validam*, seu efficacem aliorum initiationem indiget. Posterioris generis est
- §. 871. *Ordo Episcopatus*, plerumque saltem. Ad priorem vero pertinet
- §. 872. *Imo*. Ut sit in statu *gratiæ*; *II*do. ut ritus observet, *III*tio. ut nullo *impedimento canonico* impediat
- §. 873. *Præterea IV*to. *Minister* ordinis debet habere *jurisdictionem*, quæ ad hoc negotium legitima est, unde quantum ad ordines
- §. 874. *Quatuor* dantur *legitimi* Episcopi: inter quos *primus* est Episcopus *originis*:
- §. 875. *Alter* Episcopus *Domicilii*:
- §. 876. Et *tertius* Episcopus *beneficii*:
- §. 877. Tandem *quartus* est Episcopus *familiaris convictus*. Qui omnes
- §. 878. *Literas* quoque *dimissorias* concedere possunt. Quarum proin conditiones *requisitæ* describuntur: quales
- §. 879. Vel maxime concedit *Romanus Pontifex*, præter Episcopos mox commemoratos.
- §. 880. Idem sub certis requisitis conditionibus facit *capitulum* sede vacante.

§. 870.

Postquam inde a §. 849 de *natura*, & *partibus*, quibus ordines *constant*, actum fuit, ex ordine se offerunt ea, quæ

liceat in posterum - - cuiquam, qui regularis subditus sibi non sit, tonsuram, vel minores ordines conferre.

Imo amplius, etiam Subdiaconatum, & quod pene fidem excedit, etiam Diaconatum, conferendi facultatem a Pontifice simplici Sacerdoti concedi posse, & etiam concessam fuisse graves admodum DOCTORES testantur. De solo Presbyteratu nullum exemplum extat: ut adeo hujus Ordinis solus, & perpetuus Minister sit Episcopus.

** Cum ergo solus Ordo Episcopalis in Ministro sufficiat, ut quis ordinem, & characterem ejus accipiat, facile intelligitur *imo*: etiam impium, excommunicatum, schismaticum, &c. ordinem cum effectu, vereque conferre. Et si apud antiquos legatur, *tales Episcopos nihil dare posse præter damnationem; tales ordinationes esse irritas, inanes &c.* id intelligendum est de executione, & usu talium ordinum, utpote quibus absque piaculo uti, iisque fungi non est permillum, eoquod *irregularitas, excommunicatio, suspensio &c.* horum ordinum exercitio obstat. Intelligitur tamen *2do* quoque, Ministerium sacrorum Ordinum debere reapse jam esse consecratum Episcopum, neque sufficere, si is *electus* tantum, vel etiam ab Archiepiscopo, aut Pontifice *confirmatus* sit. Verum

§. 872.

Plura requiruntur, ut Episcopus ordines *licite*, & absque delicto conferat. Et quidem *Imo*. in eo desideratur *status gratie*, saltem ad conferendos illos ordines, quos

quos Sacramenti dignitate insignes esse judicaverit §. 569. *II^{do}*. Ut ea observet, quæ ex præcepto Ecclesiæ ad ritum pertinent *. Atque ut ordines extra legitima tempora non conferat **, idque per leges mox secuturas. *III^{tio}* Ut legitimam potestatem nullo impedimento canonico constrictam habeat. Sic *excommunicatio*, & quælibet *censura*, *degradatio* insuper, *depositio*, ac *irregularitas* omne Sacramentum ministrare prohibent, prout ex alibi dicendis facile apparebit.

* Sic inter alia, Ordines majores conferre volens debet esse jejunus. Extat hoc præceptum *distinction. 75. can. 4.*

** Episcopatus conferri potest quovis die Dominico: *Distinct. mox memorata can. 5. Ec.* Presbyteratus, Diaconatus, & Subdiaconatus Sabbatis quatuor Temporum, item Sabbato, quod Dominicam Passionis, seu quintam Quadragesimæ præcedit, ac denique Sabbato Sancto, id est Dominicam Resurrectionis præcedente. Servato tamen, & continuato jejunio prioris diei, licet etiam Dominica mox sequenti sacras *Ordinationes*, seu initiationes sacrorum Ordinum prosequi *c. 13. de tempor. Ordin. vel vide etiam can. 4. distinct. 75.*

Minores Ordines die Dominico, & festo quocunque conferri possunt per mox laudatum *c. 13.* Pro prima tonsura dies non est definita.

Id demum CONCIL. TRIDENTIN. speciatim prohibet, adempta Episcopis desuper *dispen-*

spensandi potestate, ne scilicet alicui duo eodem die sacri Ordines conferantur. Vid. Sess. XXIII. cap. XIII. Verum legitima hæc tempora, seu potius leges eadem iuatentes a consuetudine, & privilegiis varias patiuntur exceptiones. Sic Episcopi Germaniæ saltem plerique quovis die, etiam majores Ordines conferendi facultatem habent.

§. 873.

Præterea *IVto*, ut Episcopus aliquem Ordine ecclesiastico jure insigniat, indiget *jurisdictione*, & speciali quidem: nam quantum ad Sacramentum Ordinis non fit quis subditus per eas rationes, quæ sufficiunt, ut quis quoad alia Sacramenta alicubi forum, & jus obtineat. Jam ad Sacramentum Ordinis proprium quis sibi Episcopum potest acquirere quatuor potissimum titulis, quorum quidem

§. 874.

Primus est, titulus *originis*. ut etiam exinde talis Episcopus vocetur *Episcopus originis*. Porro originem in ea Dicecesi quis habere dicitur, in qua Pater ejusdem tempore nativitatis *domicilium* §. 875 habuit: etsi exinde aliorsum se translulerit, vel filius iste non in domicilio illo, sed alibi e. g. in itinere sit natus. *C. 3. de tempor. Ordin. in 6.* Origo tamen matris

tris nunquam attenditur; nisi *in vulgo quaesitis*, id est in iis, quibus legitimi natales defunt. Hi jam sequuntur ventrem, id est, censentur inde esse oriundi, ubi mater tempore nativitatis domicilium habuit. *L. 1. §. ultim. ff. ad municipalem. Expositi* videntur ad eum locum spectare, in quo reperiuntur, si scilicet Pater illorum nesciatur. Et hæc de Episcopo *originis*.

§. 875.

Ater *Episcopus* est *domiciliū*. Ad hoc jam ut quis alicubi verum domicilium sibi constituat *, duo requiruntur, scilicet ut quis habeat animum perpetuo ** alicubi habitandi, & ut reapse ibidem habitare jam coeperit ***, ut adeo, qui e. g. Vienna Pragam pergit, animo ibidem perpetuo degendi, in itinere constitutus nullum habeat domicilium, & jure vagorum utatur, Nam Viennense domicilium jam reliquit, & Pragense nondum constituit.

* Non enim ad recipiendos Ordines sufficit *quasi domicilium*, id est, quod habitatione jam inchoata, & animo non quidem semper, sed majorem anni partem ibidem habitandi acquiritur.

** Scilicet ut statuat, quantum ex *moderno animi decreto*. Quodsi circumstantiæ aliud aliquando suadeant, sedem suam utique mutare poterit. Non enim juratum, & nunquam mutandum, sed

simplex duntaxat decretum pro constituendo domicilio requiritur.

*** Sufficit autem primum instans, quo habitare cæpit.

Habentur autem ista omnia ex *c. 3. de temp. Ordinat. in 6. c. ultim. de Paroch. & l. 20. ff. ad municipalem.* Videnda tamen est constitut.

INNOCENT. XII. *Speculatores de anno 1694 4ta. Novembr.*

§. 876.

Præter hucusque commemoratos legitimus ad recipiendos ordines, & *tertius* quidem est *Episcopus beneficii*. Unde potest quis initiari ab eo Episcopo, in quo habet beneficium, & quidem *1^{mo}*, quod jam possideat: *2^{do}*, quod pacifice possideat: *3^{tio}*, quod ad ejus sustentationem sufficiat. Atque ita partim declaravit, partim constituit INNOCENT. XII. *in mox laudata constitutione. SPECULATO-RES.* *

- Ut adeo non sufficiat sola *electio, vel præsentatio*: neque ipsa *possessio*, si cui lis super eo beneficio ab aliquo moveatur. Prout nec tunc, si ex patrimonio, aliisve fontibus honesta talis Clerici sustentatio præter, & ultra beneficium, utpote tenue compleri debeat.

§. 877.

Quartus demum ad conferendos Ordines legitimus Episcopus vocari poterit *Epi-*

Episcopus familiaris convictus. Cum enim Episcopi passim familiares suos, sibi alias non subditos sacris Ordinibus insignirent, CONCIL. TRIDENT. hunc abusum abolere volens *Sess. XXIII. C. IX. de Reformat.* statuit in hæc verba: *Episcopus familiarem suum non subditum ordinare non possit, nisi per triennium secum fuerit commoratus: & beneficium quacunque fraude cessante, statim reipsa illi conferat.**

- * Ex quibus tria deducuntur, & quidem *1^{um}*, quod talis debeat esse vere domesticus, qui expensis Episcopi, ac velut ex ipsius mensa *alatur.* *2^{um}*, quod id debeat fieri per triennium, & coram Episcopo, nam constitutio habet: *secum commoratus*: unde non sufficit, qui in loco, aut domo alia, & extra conspectum Episcopi, licet forte expensis ejusdem vivit. *3^{tium}*, ut eidem mox, id est intra primum mensem ab ordine collato (prout declaravit INNOCENT. XII. constitut. *speculatores*) beneficium, quo *honeste sustentari* queat, conferat.

§. 878.

Atque facultas conferendi Ordines quatuor horum generum Episcopis ita competit, ut datis literis, quas *dimissorias* vocamus, eam etiam aliis concedere possint. De his jam literis duo duntaxat memoranda, scilicet earum *materia*, &

C 4

aucto-

auçtoritas concedendi easdem. Quantum ad priorem in iis debet exprimi *I^{mo}* nomen concedentis, & ejus, pro quo conceduntur, prout etiam illius, ad quem, seu potius cui facultas impertiendi ordines tribuitur. Vel siquidem generatim, & cui-cunque licentia in alienum subditum fiat, debet addi, ut is canonicè promotus, & in Communionè cum S. Romana Ecclesia existat. *II^{do}*. Ad quem, vel quos Ordines recipiendos facultas concedatur. *III^{tio}* Talis epistola debet continere causam, ob quam fuerit concessæ *c. l. de tempor. Ordin. in 6.* sed etiam CONCIL. TRIDENT. eam causam in literis adscribi imperat: *Facultates de promovendo a quocunque non suffragentur, nisi habentibus legitimam causam, ob quam a propriis Episcopis ordinari non possunt.* Scriptura tamen non adeo est necessaria, ut verbis, & nutibus hæc facultas dari nequeat.

§. 879.

Has vero literas concedendi *auçtoritas* est imprimis penes Romanum PONTIFICEM: tum vero penes Episcopos non tantum *originis, domicili, beneficij*, sed etiam probabilius penes illum, a quo titulo *familiaris convincitur* quis ordines recipere potest §. 877. *

* Favet

- * Favet huic assertioni præter usum Regula Jur. 68 in 6, qua dicitur: *Potest quis per alium, quod potest facere per seipsum.* Item *can. 1 & 2, distinct. 72.*

§. 880.

Præter Episcopos potest concedere has *dimissorias capitulum* sede vacante, seu potius ejus Vicarius, quem ex præscripto CONCILII TRIDENT. *Sess. XXIV. de Reformat. c. XVI.* intra spatium octo dierum post mortem Episcopi eligere, & per eum devolutam ad se jurisdictionem exercere tenetur. Verum hic ipse capituli Vicarius per primum annum non nisi *arbitraris* ratione *beneficii* recepti * vel recipiendi **, CONCILIO rursus TRIDENT. ita constituyente *Sess. VII. de Reform. C. X.* ejusmodi dimissionis epistolas dabit,

- * Tales sunt, qui jam potiti sunt beneficio certum ordinem requirente. Sic ad regimen Parochiæ assumti tenentur curare, ut intra primum annum Ordine Presbyteratus initientur. Et dantur utique plurima beneficia certum Ordinem lege, consuetudine, primæva institutione requirentia.

- ** Pariter aliqua beneficia Ordinem quemdam in adspirante ad illa prævie jam exigunt. Et utique nemo nisi prima saltem tonsura decoratus aliquod beneficium capere potest. Unde si quis ad beneficium vocetur, certam spem habeat &c. talis ad primam tonsuram, vel

etiam alium Ordinem occasione beneficii *recipiendi aretatus* esse dicitur.

- Atque his, & secluso speciali privilegio nulli alteri facultas concedendi literas dimissorias competit: & quidem nec ipsi Vicario generali Episcopi, nisi iste vel *in remotis agat*, vel tales literas dandi *speciale mandatum* habeat.
C. 3. §. inferiores de temp. Ordinat. in 6.

C A P U T VI.

De Subjecto, id est de recipiente Sacramentum Ordinis.

- §. 881. Sed etiam recipiens indiget pluribus, tum ut *valide*, tum vero, ut *absque peccato* ordinem recipiat.
§. 882. Ad *valorem*, seu efficaciam Ordinis requiritur *Baptismus*, *sexus masculinus*, & ex communi sententia *intentio* saltem *habitualis*.
§. 883. Ut vero *absque delicto* initietur, requiruntur plura: & inprimis *debita scientia*, & *morum probitas*: *in super*
§. 884. *Recta intentio*, & *immunitas ab irregularitate*. *Vi prioris* saltem ex moderna animi conditione.
§. 885. Debet *vitz genus sacrum* cogitare.

§. 881.

EX iis, quæ Sacramentum Ordinis *extrinsecus* concernunt §. 870. Secundo loco venit SUBJECTUM, quod vocamus, seu RECIPIENS ordinem. Atque etiam isti duplicis generis dotes sunt necessariæ. Si-
ne aliquibus enim ne quidem *valide*, id est, frustra, abs omni effectu initiabitur:
fine

fine aliis vero *licite*, id est ordinem, ejusque characterem, & potestatem recipiet equidem, sed non absque noxa.

§. 882.

VALORI, & efficaciz pauca capita sufficiunt: nam præter debitam materiam & formam, quibus utique ipse Ordo constat, aliud non requiritur, quam *Baptismus*, utpote sine quo nullum Sacramentum conferri potest; *sexus masculinus* *. Cum fœmina omnis Ordinis sit incapax; ac denique in adulto ex communi sententia intentio saltem habitualis §. 574 & seq.

* *Hermaphroditus*, id est homo de utroque sexu participans *valide* Ordines recipit, si sexus masculinus prævaleat; secus vero, si sit æqualis, aut sexus fœmineus potior sit.

§. 883.

Verum ut *pie*, & absque delicto quis aliquo ordine insigniatur, longe plura præcipiuntur. Et quidem aliqua *omnibus* ordinibus sunt *communia*: quædam vero solis *majoribus* *speciatim* conveniunt. Sed & illæ *communia* aut ex lege *divina* ac pene *naturali*, aut ex lege *humana* descendunt. Rursus lex *divina*, atque fere ipsa natura jubet, ut ordine, & gradu sa-
cro

cro insignis debitam *scientiam* *, atque sufficientem morum *probitatem* obtineat. Scilicet non nisi in gratia constituto ordinem suscipere licet plerumque **, & suscepto jam ordine ea vitæ integritate præfulgere debet, qua ad alios potius perficiendos, quam corrumpendos aptus evadat, ***

* Hæc vero diversa in diversis Ordinibus est necessaria. CONCIL. TRIDENTIN *Seff. XXIII. de Reform. c. IV.* ad primam tonsuram requirit, ut initiandus legere, scribere, & rudimenta religionis nostræ calleat. Ad minores Ordines insuper lingua latina; ad Subdiaconatum, & Diaconatum ultra priora etiam scientia eorum, quæ ad officia horum Ordinum spectant; denique ad Presbyteratum tam ampla doctrina, qua quis & Sacramenta ministrare, & populum probe erudire queat, exigitur ab eodem CONCILIO, *eadem Seff. C. XI & XIII.*

** Et quidem ad Episcopatum, & Presbyteratum certo; ad Diaconatum vero fere certo; ad reliquos autem Ordines prævia gratia requiritur eoque, prout hos Ordines probabilius, aut minus probabiliter ad numerum Sacramentorum pertinere judicaveris.

*** Nam vita improba in Clerico quantum *ad seipsum* diversorum sacrilegiorum sæpe occasio; quantum vero *ad alios* perenne offendiculum, & publica morum corruptela est. In iis vero, qui curam animarum gerunt, vitia, præcipue si de iis in vulgus constet, gravissima, planeque execranda sunt, utpote quæ innumerarum corruptionum infelix causa existunt.

§. 884.

Sed etiam leges *humanae*, utique in juris divini subsidium, & pro sacrorum Ordinum reverentia, atque maxime etiam ad salutem animarum multa sane statuunt, ut non nisi optimi, ac quantum fieri potest per omnia digni tam sacro muneri admoveantur. Ego duo potissimum referam; quorum primum est pura, & fat religiosa *intentio*; alterum vero immunitas ab omni *irregularitate*.

§. 885.

Intentio igitur eousque pia, ac religiosa requiritur, ut quantum ex moderna animi affectione * etiam prima tonsura non recipiatur, nisi animo vitæ genus sacrum, seu *clericatum* perpetuo tenendi.

- * Quod si ex intervallo mutata mente ad profanam vitæ conditionem transire lubeat, id ante receptum Subdiaconatum, pro arbitrio, & quantum ad jus humanum absque piaculo fieri poterit. Quamquam altius, atque interius quoddam forum vix probaturum sit, si id ad indulgendum sensui, & absque honestatis studio fiat: præcipue si talis antea stipendiis Ecclesiæ diu, & vix ullo præstito sacro officio victitarit.

Sed quid si adolescentes; aut pene pueri, in quos solida futuræ conditionis electio non cadit, ad aliquod beneficium urgeantur, quod ex occasione *parentela*, *resignationis in favorem*

ter-

tertiū, juris patronatus, frequenter admodum fieri potest? Jam septennio minores plerumque actus moralis incapaces factum præ profano vitæ genus optare, & hoc Ecclesiæ præceptum, de quo in præsentī §o agimus, explere, & sic Clericis adscribi non possunt. Qui vero ratione jam utuntur, si modo non tantum iudicio intellectus, sed etiam affectu voluntatis Sacerdotio, quam sæculo propinquiores sint, id est, decretum animi, etsi non firmissimum sincero affectu concipiant, quantum ad præsens negotium Ecclesiæ jam satisfaciunt. Verum

Aliud nos sollicitos habere, & alterius intentionis puritas probe curanda est. Scilicet ne naturalis, & profana ratio ad capeffendos Ordines nos pertrahat, de quo *vid. §. 422, & seq.* Licet enim delicatum hoc officium non ex jussu Ecclesiæ, de quo nunc tractamus, sed ex longe graviore titulo oriatur: in hoc tamen longe frequentius delinquendi periculum nos cautos esse jubet. Licet hoc ipsum periculum in parvulis plerumque minus, quam in adultis existat.

C A P U T VII.

De irregularitate ex delicto.

- §. 886. *Irregularitas est impedimentum ab Ecclesia constitutum, quo quis ab Ordine ecclesiastico suscipiendo, & exequendo prohibetur: quæ jam*
- §. 887. *In eam, quæ ex delicto, & in eam, quæ ex defectu oritur, solet dividi. Ejusmodi vero delictum*
- §. 888. *In primis est hæresis, & Apostasia: dein*
- §. 889. *Baptismus serlo, & absque conditione iteratus.*
- §. 890. *Tum vero abusus ordinum;*

§. 819.

- §. 891. *Insuper mutilatio, & homicidium;*
 §. 892. *Sive directe;*
 §. 893. *Sive quandoque indirecte commissum eandem poenam sustinent.*
 §. 894. *Mutilatio tamen ad irregularitatem sufficiens non tantum iniqua, sed in alieno corpore etiam gravis esse debet, licet in proprio corpore etiam levis sufficiat.*

§. 886.

Cum dignitas sacrorum Ordinum, & eorum munerum, quæ ex sacris ordinibus alicui imminent, ministrum probissimum requirat; eumque multum abhorreat, qui nota aliqua laborat, quæ vel ob malitiam, vel etiam absque malitia hominem ad nobile adeo munus gerendum reddat minus aptum: ideo Ecclesia varias *irregularitates*, id est hominis qualitates, designavit, ex quibus quemlibet, qui iisdem affectus est, a sacro Ministerio exclusum esse jubet. Definimus itaque hanc *irregularitatem*, quod sit *impedimentum ab Ecclesia §. 884 constitutum, quo quis ab Ordine ecclesiastico (etiam prima tonsura) suscipiendo, & dein a jam suscepto deinceps exequendo prohibetur.**

- * Ex qua definitione effectus irregularitatis facile discuntur. Scilicet alius est *primarius*, quo quis a suscipiendo quocunque Ordine, etiam solo clericatu arcetur. c. 6 *Et s. distinct. 34. Secundarius* vel est *directus*, id est proximus, prohibens executionem, & usum ordinum; c. 12. *de homicid. vel indirectus*, seu consequens, qui etiam

etiam beneficii ecclesiastici incapacem facit irregularem, eoquod annexa beneficio officia præstare nequeat. *c. 12. de elect. & c. fin. de Cleric. excommunicat.*

Quia vero irregularitas, prout habet definitio, tantum prohibet; ideo ordinum susceptionem & exin eorum executionem non facit irritam, sed prohibitam tantum: Insuper voculæ: *Ab Ecclesia constitutum*, faciunt intelligere ea, quæ ad hujus impedimenti relaxationem; seu dispensationem pertinent. Quam quidem concedendi potestatem *1mo* habet Romanus Pontifex, qui omnia impedimenta juris humani, non autem ea, quæ sunt juris divini aut naturalis e. g. in furioso tollere potest. *C. 4. de concess. præbend. 2do* Episcopus, qui omnes irregularitates ex delicto occulto provenientes potest remittere, ea sola excepta, quæ propter homicidium irrogatur. TRIDENTIN. *Sess. XXIV. c. 6.* Possunt autem hanc facultatem vel ipsimet exercere, vel eandem exercet Capitulum sede vacante, ex *c. 7. de Rescript. 3tio*. Demum superiores Religiosorum Ordinum (quantum ad suos, & pro foro conscientia) irregularitates fere omnes abolere possunt. Atque ita habent, concessa iisdem privilegia.

§. 887.

Cum vero inter innumera, quæ sacrum Ministrum dedecere possunt, non omnia, sed aliqua tantum ex judicio Ecclesiæ tanquam ejusmodi impedimenta fuerint designata: eadem utpote ex libero sacrae Potestatis arbitrio constituta ægre in aliquam

quam certam regulam cogi poterunt. Quare aliud non possum, quam ut omnes has *irregularitates*, ex meliore, quo licuerit, ordine referam. Et quia vel *culpa* aliqua, vel *alius nāvus*, etiā culpa vacuus sacro hoc gradu aliquem indignum reddere valet: ideo recepta irregularitatis *divisio* est in eam, quam quis *ex delicto*, & in alteram, quam *ex defectu* incurrere potest.

§. 888.

Crimina irregularitatem ex delicto inducentia in tres potissimum * classes dividi posse videntur. Vel enim pugnant contra *fidem*: & sic sunt irregulares Hæretici; Apostatæ ** & eorum in hisce criminibus defensores *C. 2. de hæret. in 6.* item *C. 13. eodem in 6.* Huc ex *C. 1 de schismat.* pertinent etiam a Schismaticis ordinati, id est ab iis, qui absque errore in fide, per solam voluntatis pervicaciam ab unionē, & obedientia Ecclesiæ se pertinaciter separant; ut caritatem potius, quam fidem per hoc violent.

* Nam ea quæ ab infamia venit, cum non ex solo crimine, sed non nisi accedente publica notitia incurratur: non inepte ad irregularitates ex defectu rejicitur.

** Non tamen adeo explorata est hæc irregularitas: nam *c. 2. §. 2. de hæret. in 6. de hæret.*
Part III. Th. Mer. D reti

reticis tantum habet sequentia: *Ad nullum beneficium ecclesiasticum, aut officium publicum admittantur.*

§. 889.

Altera criminum classis *Religionem læ-*
dunt: in qua quidem duo crimina irregularitatem inducentia continentur. Itaque post hæresin secundum delictum, cui hæc pœna constituta est, committitur Sacramentum Baptismi serio iterando. *C. 2. de Apostat. **

- Igitur non fiunt irregulares iterantes Sacramentum Confirmationis: eoquod hæc irregularitas nullibi in jure scripta sit. Etiam illi in statuendis irregularitatibus justo liberaliores sunt, quæ hac pœna mulctant illum, qui baptismum ex improbabili, prorsusque inani timore, addita tamen conditione: *Si non es baptizatus*, repetunt. Nam nemo iterat Baptismum sine intentione baptizandi: jam in præsentî casu non habetur intentio baptizandi; si enim baptizatus jam sit, non vult baptizare: atqui jam est baptizatus; ergo non vult baptizare. Cæterum

Hanc irregularitatem uterque tam suscipiens, quam conferens iterato Baptismum incurrit, dispari tamen effectu: nam admittens Baptismum ab omnibus ordinibus, ministrans vero non nisi ab ascensu ad alteriores Ordines prohibetur per laudat. *C. 2. de Apostat.*

§. 890.

§. 890.

Cum religione pugnans, & exin irregularitatem inducens alterum crimen §. 889 est abusus ordinum: qui quidem quantum ad irregularitatem est triplex. Itaque *primo* irregularis est, qui Episcopo ignorante reliquis sacros Ordines recipientibus se dolo immiscet. *C. 1. de eo, qui furtive. Secundo* hanc pœnam incurrit Clericus, qui exercet ordinem, quem non habet. E. g. si Diaconus confessiones excipiat. *C. 1. & 2. de Cleric. non ordinat. Tertio* demum qui violat *cenfuram* exercendo actum Ordinis, e. g. si in excommunicatione constitutus Sacrificium celebrat *. *C. 1. de sentent. & re judicat. in 6. item tot. titul. de cleric. excommunicat. ministrat. & C. 20. de sent. excommun. in 6.*

- * Igitur non fit Irregularis, qui censura ecclesiastica licet impeditus, ordinem suscipere audeat. Item qui excommunicatione, suspensione, seu interdicto, paucis, censura aliqua constrictus actum jurisdictionis tantum, & non ipsius Ordinis exercet. E. g. si Episcopus excommunicatus legem, aut sententiam ferat; non tamen Sacrificium peragat, nullum Sacramentum ministret &c.

§. 891.

Tertii generis crimina *pietati naturali* adversa, & ideo pœnam irregularitatis

D 2

tis

tis sustinentia sunt iniquum *homicidium*, & injusta *mutilatio*. Et quidem cædes fieri potest *directe*, vel *indirecte*, id est, ut opera & intentio simul proxime in occisionem feratur; vel ita, ut mors futura eundem non intendatur, ex nostra tamen opera prævideatur esse futura. Sed etiam illa, quam *directam* vocamus, occisionem efficiamus aliquando *per alium* e. g. jubendo, consulendo, etiam retractato consilio, si nihilofecius ex vi hujus consilii cædes sequatur *. *C. 7. de homicid. & TRIDENT. CONCIL. Sess. XIV. C. VII. juncto Can. 8. distinct. 50.*

- * Imo etiam eum volunt esse irregularem, qui dum facile potuisset, cædem impedire noluit: ex *c. 6. §. 2. de homicid.* Verum ea lex nititur præsumptione, id est ex circumstantiis judicat, talem non obstitentem tacite cum sicariis colludere, ait enim: *Nec caret scrupulo societatis occultæ, qui manifesto facinori desinit obviare.* Si tamen reapse nec auctoritate, nec consilio, aut consensu ad facinus concurrat, sententia hujus legis eundem non involvit.

§. 892.

Sed eandem *directam* occisionem perficiunt quandoque proprio conatu & impetu §. 891, id est, per se ipsos. Idque vel lethale vulnus infligendo, vel alios quacunque ratione adjuvando, etsi unicus tantum

tum percusserit, reliquis tamen non tantum spectandi, sed etiam impugnandi animo præsentibus. Ubi dein irregularitas incurritur, etsi dubium sit, an percussus non ex imperientiâ Medicorum obierit: idem si unus etsi incertus, fatalem plagam inflixerit, ubi in dubio omnes a sacris ordinibus vel suscipiendis, vel obeundis abstinere debent. *C. 18. de homicid. & Can. final. caus. 23, q. 8.* Licet dubium alias ab ordinariis poenis soleat liberare.

§. 893.

Verum alter alterum etiam *indirecte* potest occidere §. 891. Idque rursus per operam alias *honestam*, vel jam aliunde *prohibitam*. Sed ut opera honesta hanc poenam inducat, debet habere sociatam secum aliquam culpam: & aliqui requirunt *latam*, *C. 8. de homicid.* alii vero etiam culpæ *levi* hanc poenam taxant ex *C. 7. & 8. de homicid.* * Quod si vero opera, ex qua mors alterius secuta est, jam prævie interdicta fuerit; rursus distinguendum est: an ille labor, seu opus fuerit prohibitum, ob *annexum periculum mortis*; & morte fors secuta mox sequitur etiam irregularitas, nulla attentata culpa ** *C. 13, & 23. de homicid.* Si vero talem actum non ob periculum mortis, sed *ex*

alia ratione lex prohibeat, tunc mors ex tali opera eveniens non nisi accedente culpa *lata*, vel quod alii volunt, etiam *levi* tantum irregularem facit ***. C. 7, & 8, de homicid. C. 13, & 23 eodem.

* Crederem ego, non nisi per *culpam gravem Theologicam*, id est, per peccatum lethale hanc pœnam incurri. Versamur enim in irregularitate *ex delicto*, quæ, cum sit pœna gravis, minime videtur irrogari, nisi ob delictum grave. Siqui canones, seu constitutiones videantur contrarium statuere, notandum, eas plerumque ad privatas consultationes: & sic (proxime pro foro exteriori fuisse editas) unde sunt leges *in præsumptione fundata*, id est, quod jam supra dixi, quæ ex circumstantiis judicant, reapse gravem culpam latere, non tamen constituere volunt, ut etiam levis culpa pœnam irregularitatis patiat. Præcipue cum id clare non edicant, & hoc negotium odio vere obnoxium sit.

** Equidem laudata capitula 13 & 23. de homicid. id innuere videntur: erunt tamen, qui etiam hoc (me quidem non admodum invito) negabunt. Quia scilicet *homicidio iniquo* hæc pœna est scripta: ipsum verò homicidium non liberum, & sic neque iniquum fuisse videtur, etsi causa fuerit iniqua. Verum si talis causa fuerit prohibita ob periculum mortis inferendæ, causa non tantum simpliciter, sed in negotio homicidii fuit iniqua. Unde nostræ sententiæ Patroni asserunt, Clericos Chyrurgiæ operam dantes fieri irregulares, etsi abs omni culpa, aut negligentia quempiam occidant per clarum c. 19. de homicid. Contra vero eos, qui

qui venationi indulgent, non fieri irregulares, si quem præter culpam interimant. Licet enim tam hi, id est Clerici venatores, quam illi, seu Clerici Chyrurgi rei prohibitæ dent operam: Medicina tamen ob periculum mortis inferendæ, ob aliam vero causam venatio Clericis est interdicta.

** Etiam hic, ni fallor, ea repetenda sunt, quæ hoc ipso §^o dicebam.

§. 894.

MUTILATIO membrorum * inducit rursus irregularitatem §. 891. Et quidem eodem modo, quo homicidium huic pœnæ obnoxium esse mox assereram: id solum tamen addendum, eam debere esse *iniquam* ** *in alieno corpore gravem* *** *C. final. de homicid. in 6.* In proprio tamen corpore factam, vel libere admissam *levem* sufficere ****, *C. 3, & 5. corpor. vitiat.*

* Unde non sufficit vulneratio, nisi mors ex ea sequatur; neque hebetatio e. g. si oculus excæcetur, manus inepta reddatur, nisi membri alicujus fiat abscissio.

** Neque huc pertinet mutilatio medendi gratia, aut facta, aut permissa: neque illæ, quæ casu contigerunt.

*** Gravis ea censetur, qua membrum aliquod proprio muneri destinatum abscinditur, e. g. manus, pes, vel si oculus eruat: econtra mutilatio non censetur illa, qua pars membri

auffertur , e. g. digitus , auricula &c. Et ita communis habet.

*** Vehementer enim abominatur Ecclesia quamcunque sævitiam in seipsum exercitam , etsi levis ea videatur , *can. 2. distinct. 33.* Unde Eunuchi etiam non penitus evirati irregulares sunt , si in hanc crudelitatem consenserint : neutiquam vero sunt tales , si eam injuriam ante usum rationis sunt passi *c. 3. de corpor. vitiat.* Quod autem etiam isti veniam legis , seu *dispensationem* soleant petere , id vel ex consuetudine habetur : vel tanquam homines viles irregularitatem ex defectu patiuntur , certe irregulares ex delicto non sunt , utpote qui nullum commiserunt.

Illud quidem humanitati , ac gravitati ætatis nostræ plurimum adversatur , quod tanta inhumanitas ab ipsis non raro parentibus impune exerceri permittatur nulla lege impiam pariter , & cruentam sævitiam ulciscente ; idque ex eo , ut aliqui sint in republica , qui leve illud , quod a molli voce venit , delictum minime necessarium , & severitati christianæ alias adversum ministrent.

C A P U T VIII.

De irregularitate ex defectu , de iis maxime , quæ ex defectu morali oriri solent.

- §. 895. Defectus irregularitatem inducentes vel sunt naturales , vel morales : & inter hos
 §. 896. Prima classis consistit in defectu Sacramenti ; qui rursus est duplex , scilicet defectus lenitatis , & bigamia ,

§. 897,

- §. 897. Et quidem defectum lenitatis incurrunt vel in bello justo, vel in iudicio. Et in hoc quidem tam Personæ principales, quam minus principales. Inter principales in primis est accusator: tum vero
- §. 898. *Judex,*
- §. 899. Ac denique *executor sententiæ.*
- §. 900. Ad minus principales spectant *testes, scribæ, & pœnam mortis consulentes.*
- §. 901. In bello tamen justo non nisi *propria opera occidentes* fiunt irregulares: imo in bello mere defensiva etiam nullus plerumque. Jam
- §. 902. *Bigamia antiquissimi, & apostolici juris irregularitas*
- §. 903. Quantum ad naturam suam vel est vera, vel interpretatione legum talis: utraque tamen
- §. 904. *Duplicem edit effectum.*
- §. 905. Inter *morales irregularitates* §. 895, secundam classem constituit defectus *honæ existimationis, vel ex parentum delicto,*
- §. 906. *Vel ex proprio crimine ortus.*
- §. 907. Quantum ad infamiam ex alieno, seu parentum crimine ortam, seu quoad *illegitimam* nativitatem notari meretur modus, quo contrahitur, & ille, quo deletur. Et hoc quidem
- §. 908. Contingit imò per *subsequens matrimonium:*
- §. 909. Et 2do per *rescriptum Principis.*
- §. 910. Demum *ultima* inter defectus *morales classis est defectus libertatis.*

§. 895.

Aliud genus irregularitatum est ex defectu §. 887, quæ non ex delicto, sed ex alio titulo oriri possunt: quo quis sacro ministerio indignus redditur. Hi porro tituli, & irregularitates ex iis natæ vel sunt *morales, vel naturales.* Et quidem defectus *morales* in tres potissimum * classes dividi posse videntur. Quarum *prima* est ex defectu Sacramenti, seu *Mysterii;*

D 5

altera

altera ex defectu *bonæ existimationis*; & *tertia* demum ex defectu *libertatis*.

- * Nam extra has classes vagatur irregularitas Neophytorum c. 48. *distinct. 48.*, id est eorum, qui recens ad fidem, & Ecclesiam accesserunt. Non enim oportet, ut ii mox duces populi evadant, qui primum Tyrones fuerunt.

§. 896.

Prima jam classis, quæ est ex defectu *Sacramenti*, rursus est duplex. Vel enim quis *simpliciter* ineptus ad repræsentandum CHRISTUM, ejusque mansuetudinem: vel ejusdem CHRISTI imaginem non potest referre *comparate ad Ecclesiam*. CHRISTUS itaque mansuetissimus, qui nullum unquam læsit, multo minus cujuspian sanguinem fudit, non satis apte exprimitur ab eo, cujus manus ab alieno sanguine etsi juste fuso * madent.

- * Nam qui aliquem inique occidit e. g. in bello injusto, non ex defectu, sed ex delicto irregularis est. §. 891, & seq.

§. 897.

Porro justa cædes, ex qua irregularitas contrahitur *, potest fieri vel in *judicio*, vel in *bello justo*. Et quidem in *judicio* personæ necis alienæ effectrices vel sunt *principales*: vel *minus principales* seu

ſeu acceſſoriæ, quas vocamus. *Principales* rurfus ſunt *accuſator*, *Judex*, & *executor* cruentæ ſententiæ. Jam *accuſator* fit irregularis, quando agit *criminaliter*, id eſt ad pœnam publicam ſanguinis, aut mutilationis; *C. 8. diſtinct. 40*, & *C. 21. de homicid.* Vel quando agit *civiliter* quidem, id eſt, ad reparanda detrimenta privata: ſed ita, ut exin reus a judice ad mortem condemnandus ſit; &, quod inſuper requiritur, ut ea cauſa ſibi minime ſit conjuncta *c. 2. de homicid. in 6.* ** Hujus exemplum foret, ſi *Titius* plurium liberorum parentem occidiſſet, quos manu & arte industrius pater hucusque ſuſtentabat. Si jam *Cajus* illi familiæ extraneus judicem adeat, petens, ut *Titius* compellatur victum, & alia commoda ex æquo compenſare, quæ proles vitæ a Patre ſuo accepturæ fuiſſent. Si dein *Judex* reum inde cognoscens eum ad mortem condemnèt, *Cajus* erit irregularis, non futurus talis, ſi horum Pupillorum tutor, aut conſanguineus hanc accuſationem adornafſet,

* Datur etiam aliud genus juſtæ cædis, ex quo tamen nulla irregularitas inducitur: ſcilicet ſiquis privatus injuſtum vitæ, membrorum, & (ut ego puto) pudicitia, aut fortunarum aggreſſorem *cum moderamine inculpata tutele*, ſeu quando alia ſibi conſulendi via non amplius ſuppedit, occidit.

** Igi-

* Igitur non fit irregularis, qui accusat coram iudice ecclesiastico; vel etiam coram laico seu profano, si agatur de crimine primum committendo, seu de damno incurrendo, quod alias vitari non potest; dummodo pars accusatrix protestetur, se non ad pœnam publicam seu sanguinis, sed pro sua duntaxat securitate agere *c. 8. de accusat.* Et si dein Iudex reum morte mulctet.

§. 898.

Altera principalis in iudicio persona est *Judex*; reum enim utpote vi iudicii non irregularem in præsentî non consideramus. Et quidem iudices plerumque * omnes sunt irregulares, si modo ex eorum sententia mors aut mutilatio alicujus sequatur. Ita enim statuitur *C. 9, & 10. de excess. Pralat.*

* Excipiuntur enim aliqui. *Primo* Legislatores pœnam mortis in aliquod crimen legem condendo statuens. *Secundo* Iudex sacer *degradatum*, id est a gradu, ministerioque sacro solemnî ritu dejectum curiæ sæculari tradens, aut relinquens potius. *Tertio* nondum baptizati *can. 8. distinct. 50.* *Quarto* ex privilegio, quo Episcopis, aliisque profanam jurisdictionem obtinentibus Sacerdotibus conceditur facultas in causa sanguinis iudices constituendi, *C. ultim. ne Clerici vel Monach. in 6.*

§. 899.

§. 899.

In iudicio sanguinis *tertium* inter principales §. 897 consideramus *executorem*, qui vel *proxime*, & sua opera statutam alteri mortem infert, membra abscindit; vel ex intervallo, sed non adeo remoto ad id cooperatur. Sic reum carceri mancipans, vinculis constringens, ne fugere queat, custodiens, rogam componens &c. non item ensem, aut vincula cudens, furcam ædificans irregulares ex usu saltem, & DD. sententia esse censentur.

§. 900.

In iudicio supersunt aliqui *minus principales*, & ad secundum locum referendi §. 897. Et hi vel *accedunt accusatori*, & sunt *testes C. 9. ne Clerici vel Monach.* (quos tamen, si coacti testimonium dicant, aliqui ab irregularitate eximunt) vel ad *partem iudicis* pertinent; & sunt scribæ, sententiam promulgantes; Assessores, suffragium ferentes, examinantes. *Can. 1. distinct. 51.* Denique Jcti, & Sacerdotes, si non tantum *generatim*, sed *definite* ad hunc reum morte puniendum de jure respondeant. Hi omnes efficiuntur irregulares, si quis ex eorum opera vitam, aut membrum perdidit. Sacerdotes tamen etiam

tiam in causa singulari e. g. *Titii* mortem ex jure consulentes, nihilominus irregularitatem evadere videntur; idque haberi videtur ex *c. 32. caus. 23. q. 8. Sane Regibus, & Principibus in incendiarios facienda justitie facultatem, consultis Episcopis, & Archiepiscopis non negamus.*

§. 901.

Altera circumstantia, in qua homicidium irregularitatem inducit, est *bellum justum*: & si bellum sit *offensivum*, id est tale, quod alteri infertur, omnes sunt irregulares, quibus certum, aut etiam dubium tantum est, a se aliquem fuisse occisum *C. 24. de homicid.* In bello vero *defensivo*, seu in eo, quo bellum ab aliis illatum propulsatur tantum, nemo, nec ipsi Clerici, pugnando, occidendo &c. fit irregularis, dummodo agatur pro defensione sui ipsius *C. 2. de immunitat. Eccles. & Clementin. unica de homicid.* Vel pro tutela Ecclesia aut patria. *C. 2. de immunitat.* Et quod insuper requiritur, ut ultra necessitatem protegendæ salutis nihil fiat, & bellum ex defensivo non degeneret in offensivum. *

- * Illud quoque advertendum, quod in bello justo etiam *offensivo* causæ mortis physice tantum, non item morales fiant irregulares: id est,

est, si duntaxat, qui sua manu, aut opera occidunt, mutilant; non item qui talia fieri jubent, consulunt &c. Quod quidem in iudicio aliter se habet, utpote in quo etiam Iudex, Consultor &c. & non solus carnifex hoc impedimento constringuntur. Prout habet certa sententia.

§. 902.

Verum sacris muneribus decoratus etiam ex alio respectu CHRISTI personam referre debet: scilicet in quantum is est *sponsus sponsæ unice, ejusque Virginis, id est Ecclesiæ.* Et posset hoc mysterium alicui prorsus arbitrarium, atque superfluum, ac tantum non superstitiosum videri, nisi illud esset antiquissimum, juris apostolici, atque ab ipso Apostolo PAULO probatum; qui vel in Diaconis jam requirit, ut *sint unius uxoris Viri. I. ad Tim. III. 12.* Scilicet varii ritus, & significationes, exterioresque cæremoniæ humana duntaxat lege introductæ (contra ac aliquorum profana sentiendi ratio vult) non leves, aut inanes omnino, sed graves, & magno momento plenæ sunt: & quod inde consequitur, magna reverentia observandæ. Sic CONCIL. TRIDENT. *Sess. XXII. Can. VII.* tanquam dogma definit: *Si quis dixerit, cæremonias, vestes, & externa signa, quibus in Missarum celebratione Ecclesiæ catholica utitur, irritabula impietatis esse magis.*

magis, quam officia pietatis; anathema sit. Et Sess. XXIII. Can. V. Si quis dixerit, sacram Unctionem, qua Ecclesia in sancta Ordinatione utitur, non tantum non requiri, sed condemnendam, & perniciosam esse; similiter & alias ordinis ceremonias; anathema sit.

§. 903.

Hæc itaque *uxorum pluralitas* in jure statuta, & mox explicanda vocatur *bigamia*, quam & ex sua *natura*, & in *effectu suo* considerare juvat. Quantum jam ex *natura sua* vel est *vera*, vel ex *interpretatione legum talis*. *Bigamia vera* inducitur per usum matrimonii * cum *pluribus* uxoribus exercitum, vel cum *unica* tantum, postquam ab alio fuit sive ante sive post constitutum matrimonium jam cognita. Nam etiam ista virginei matrimonii pars, & proinde conjunctionis CHRISTI cum Ecclesia symbolum esse minime potest. C. 1, & 3. *de bigam.* Vide quoque omnino etiam C. 5. *de bigam* **. *Altera bigamia*, quam *interpretativam* ab interpretatione juris violationem solemnem voti pro iterato matrimonio explicantis, vocant, incurritur a Clerico, qui post solemne votum castitatis matrimonium, licet irritum, ac nullum, contrahit, illudque consummat. C. 4, & 7. *de bigam.* * Non

- Non item per solum matrimonii contractum, prout neque per concubitum solum, extra matrimonium cum pluribus exercitum hoc impedimentum inducitur. Unde non est irregularis, qui ante matrimonium, imo neque qui durante matrimonio cum pluribus etiam non virginibus congressus est.
- ** Unde etiam ille irregularis est, qui uxore sua, quæ licet antea a nullo alio corrupta, durante tamen ipso matrimonio adulterium commisit, uti pergit.

§. 904.

Quia vero bigamiam *in effectu suo* considerare necesse est §. 903. Is jam est duplex. Nam *principalis* est irregularitas, de qua hactenus: *Secundarius* vero est *ademptio* omnium *privilegiorum* Clericis alias competentium. Quæ quidem in *ordinibus minoribus constitutis* irrogatur *ab ipso jure C. unic. de bigam. in 6.* Si scilicet cum pluribus, vel cum unica non Virgine matrimonium contrahant, & consumment: vel per *degradationem*; si majoribus ordinibus initiati matrimonio etsi nullo, utantur. *C. 4. & 7. de bigam. & c. 2. de pœnis in 6.*

§. 905.

Irregularitatum ex defectu *moralium* ortarum *classis secunda* est; *defectus bone exiti.*
Pars III. Th. Mor. E stima.

stimationis, qui quidem in duas rursus divisiones abit. Nam existimationi nostræ aliquid decedit vel ex *proprio* crimine, vel ex delicto *parentum* prolem suam non legitime gignentium. Nam paternum nefas etiam filio, qui delicti alieni velut materia evasit, aliquam maculam affricat*. Ubi id magnopere advertendum, non ipsa crimina hujus irregularitatis causam proximam esse; alias hæc irregularitas pertineret ad irregularitates *ex delicto*. Quorsum quidem a multis perperam refertur: nam irregularitates istæ, id est, ex delicto contrahuntur, etsi nemo notitiam criminis habeat, imo licet ipse delinquens criminis quidem gnarus, taxatæ autem pœnæ inficius reum se fecerit.

- * De molestiis, quas proles illegitima natiuitate editæ pati debent, aliqui disputant. Quæ enim iustitia, ut innocens per omnia, alieni criminis pœnas luat? Verum de hoc disputare non juvat: Ecclesia enim hanc irregularitatem statuendo certe non est iniqua. Nam postquam per leges civiles, & ipsa consuetudine extra matrimonium nati aliquo dedecore notati sunt: Ecclesia eosdem utpote in sensu saltem, si non in iudicio aliorum viles a divinis ministeriis recte excludit. Neque rationem pœnæ habet ista exclusio, sed est merum studium reverentiæ officiis sacris debitæ: eoquod tales non delicto, sed casu prout e. g. cæci excluduntur. Præterquam, quod publica sui ostensione (quæ est mala eorum fors) non possint non memoriam paterni criminis refricare.

§. 906.

Jam *infamia*, seu defectus *bonæ existimationis ex proprio crimine* §. 905 est vel *juris*, vel *facti*. *Infamia juris* oritur ex crimine, cui ipsæ leges hanc maculam inusserunt*, dummodo de tali crimine publice constet**. *Infamia facti* ea est, quæ per *sententiam judicis* alicui irrogatur in causa cujusdam criminis, cui ipsæ leges nullam infamiam taxarunt. *Vid. l. 5, 8, & 12. C. ex quibus. caus.*

* Et talia crimina inprimis sunt omnia, contra quæ per leges civiles infamia statuta est *c. 2. caus. 6. q. 1.* Ea vero delicta penitius recensentur *c. 17. eadem causa* §. 9. scilicet infames sunt fures, sacrilegi, incestuosi, homicidæ, perjuri, raptores, malefici, adulteri, venefici, sepulchrorum violatores, & denique quibuscunque criminibus capitalibus irretiti &c. *Vid. l. 4. §. 2. ff. de his qui notant.*

** Nullum enim crimen occultum arcet a sacris muneribus per *c. ultim. de tempor. Ordinat.* Sed ipsa hæc, quam vocant, *notoreitas*, id est, publica notitia rursus dicitur esse vel *juris*, vel *facti*. Jure aliquod crimen fit publicum, si quis in judicio de eo vincatur, confiteatur, condemnetur: facto autem, si casu, aliorum perfidia, vel propria incuria id propterletur.

§. 907.

Infamia vero, seu qualiscunque demum diminutio bonæ existimationis ex *alieno deli-*

delicto nata est illegitima nativitas. §. 905, circa quam duo nobis docenda sumimus, scilicet modum quo *contrahitur* ista macula, & eum rursus modum quo *deletur*. Contrahitur vero nævus iste primo, si inter parentes tempore nec conceptionis, nec prægnationis, nec nativitatis matrimonium consistit. Et tales filii vocantur naturales, qui proin ordinibus initiari non possunt *C. 1. de fil. Presbyter **. Multo magis hoc dedecus adspergitur illis, inter quorum parentes tempore nativitatis matrimonium ob impedimentum dirimens existere ne quidem potuit. Et hi vocantur spurii, seu ex damnato coitu nati. *Novel. 74. C. 6.*

* Ast non omnes sunt illegitimi, inter quorum parentes matrimonium non dabatur. Nam excipiuntur hi, quorum parentes, aut saltem alteruter parens erroris ignarus generandæ proli operam dedit; idque etiamsi impedimentum dirimens latuerit, imo desuper lis jam fuerit mota *c. 2. qui filii sint legitim.*; excipiuntur etiam illi, aut magis beneficio legum pro legitime natis benigne judicantur, qui matrimonio jam soluto, mense primum undecimo nascuntur. *Vid. l. 3. ff. de suis & legit.* Ex qua etiam apparet, mense undecimo jam completo partum ex judicio legum illegitimum censei. Pro iis tamen, qui septimo post contractum matrimonium mense nascuntur; denique etiam pro expositis ex probabiliore sententia mitius pronuntiandum. *Vid. l. 12. ff. de stat. hom. & l. 29. ff. de liber. & posthum.*

§. 908.

§. 908.

Macula hæc natalium jure ordinario * purgatur vel per *subsequens matrimonium*, vel per *rescriptum Principis*. Matrimonium nativitatem subsequens ** illegitime natos tam quoad effectus canonicos, quam civiles per omnia exæquat legitime natis. Hoc tamen beneficium tantum competit *naturalibus*, id est, inter quorum parentes non dabatur matrimonium; non item *spuriis*, inter quorum parentes tempore nativitatis ne quidem poterat dari matrimonium. Quantum enim ad hos matrimonium nihil operatur, sed paterni sceleris pœnam perpetuo luentes, aliud solatium non possunt habere, quam dulcem eam recordationem, qua sciunt, se innocios justitiæ innocentem quamdam victimam, & utile aliorum exemplum evasisse.

*C. 6. qui filii sint legitim. ****

* Nam per specialem legis relaxationem absque ordinario rescripto naturalibus, imò etiam spuris potest subveniri.

** Si enim matrimonium conceptione posterius ipsam tamen nativitatem præcesserit, tales legitimi per omnia, & non primum per subsequens matrimonium *legitimati* dicuntur. *L. 11. c. de natur. lib.*

*** Infelices porro hi dividuntur in *sacrilegos*, si nimirum ob votum solemne castitatis inter parentes matrimonium non poterat existere;

in *adulterinos*, quorum alteruter parens cum alio matrimonii vinculo erat ligatus, seu clarius, sunt illi, qui ex adulterio sunt nati. *C. 4. caus. 32. q. 4.* Tertiam spuriorum classem constituunt *incestuosi*, inter quorum parentes consanguinitas, vel affinitas matrimonium dirimebat. Qui rursus sunt vel *simpliciter incestuosi*, id est nati ex parentibus ex linea obliqua cognatis, *§. 2. inst. de nupt.*; vel sunt *nefarii*, qui ex linea recta e. g. ex Patre, ejusque filia sunt progeneri. *§. 1. instit. de nupt.*

§. 909.

Alterum remedium contra illegitimæ nati-
tatis mala est *rescriptum Principis* §. 908. Utique non pingue adeo, nec ita efficax sicut prius illud, quod per subsequens matrimonium inducitur. Benignum autem tale *rescriptum* potest obtineri vel a supremo Principe *ecclesiastico*, seu Romano Pontifice, utique ad effectus duntaxat ecclesiasticos e. g. ut quis possit sacris Ordinibus, ac beneficiis potiri. *C. 13. qui filii sint legitim.* vel a supremo Principe *politico*: *l. 5. C. de divers. rescript.* circa quam concedendam gratiam notare juvat ejus *requisita*, & *effectus* ejusdem. Requiritur enim consensus illius, cujus natales macula laborant, atque ut is per subsequens matrimonium legitimæ natiuitatis jura non possit facile obtinere: si enim parentes abs gravi incommodo matrimonium
inire

inire queant, eorum proli Princeps non solet plerumque speciali beneficio illegitimæ nativitatis nævum abstergere, *Novell. 89. c. 11. & Novell. 74. c. 1.* Præterea necessarium est plerumque, & nisi Princeps de plena potestate velit agere, ut alii liberi legitimi non existant. *Novell. mox laudat. c. 1. & 2.* Effectus vero hujusmodi clementis decreti sunt successio in legitimam, id est, ut partem hæreditatis alias legitimis competentem possint capere §. 2. *instit. de hæredit. que ab.* Item ut, munera & dignitates civiles possint * obtinere,

* Hæc autem potissimum de jure canonico, & Romano obtinent: multa tamen ex his usus, & voluntas legislatorum mutavit. Sic non tantum supremi Principes, sed etiam Legati eorum, & quos vocamus Comites Palatinos, privilegium *legitimandi*, id est potestatem natalium maculam abstergendi, quandoque habere solent, vel habuerunt aliquando. Denique Professio religiosa vim habet, maculam natalium abolendi saltem ad suscipiendos sacros Ordines c. 1. *de fil. Presbyter.*

§. 910.

Defectuum moralium, ex quibus irregularitas oritur, classis tertia est *defectus libertatis* §. 895. Et sunt 1^{mo} conjuges, nisi uxor consentiens votum castitatis emittat. *C. 7. de convers. conjug. 2^{do}*

E 4

Servi

Servi etiam adscriptitii tantum, id est, qui alias liberi, pacto tamen, aut alia ratione certæ glebæ seu fundo colendo addicti sunt. *Tot titul. de servis non ordin.* Nisi Domini eorum consentiant. 3^{tio}. Demum ad rationes reddendas obligati, quousque scilicet has rationes non dederint. *C. unic. de obligat. ad ratiocin.*

C A P U T IX.

De irregularitatibus, quæ ex defectu naturali oriuntur.

§. 911. Ad defectus naturales pertinent quædam vitia animi, & quædam corporis. Et huc

§. 912. Spectat ætas legitima,

§. 913. Et interstitia,

§. 911.

Superfunt defectus naturales, ex quibus quis a sacris ordinibus prohibetur §. 895. Et hi se tenent vel ex parte animi, vel ex parte corporis. Defectus animi sunt, si quis careat usu rationis * vel saltem debita scientia, de qua supra §. 883 & TRIDENT. Sess. VII. C. XIII. & Sess. XXIII. C. V, & VII. corporis defectus facit, vel ut munera Clerici omnino non possit obire; vel saltem, ut eadem absque horrore spectantium non queat exequi. In
prio

priore casu talis ne quidem potest ad Ordines admitti, e. g. si careat visu uterque oculus, vel juxta aliquos (nimis rigide sentientes) solus oculus sinister, quem propterea *canonicum* vocant, eo quod illo potissimum Canonem Missæ soleamus legere **. Si vero Ordines jam susceperit, & talis defectus exin primum superveniat, ab illis duntaxat muneribus debet abstinere, ad quæ ineptus est factus, aliorum exercitio libere eidem relicto. *C. 2. de Cleric. agrotant.* Et quæ modo de iis dixi, qui simpliciter officiis non possunt defungi, etiam intelligenda sunt de aliis, qui eadem *absque* *horrore* non possunt explere. E. g. enormiter gibbosi, parvi, aut claudi. Licet etiam ista impedimenta de suo horrore multum ipso usu perdiderint, vixque attendantur, nisi defectus fere intolerabilis sit. Cæterum *vid. C. 4. de cleric. agrotant.*

* Hanc vero irregularitatem non tam lex humana, quam naturalis constituit.

** Qui cæcitatem oculi sinistri inter irregularitates recensent, sine lege, & sine ratione id faciunt. Nullibi enim, quantum scio, hoc impedimentum est scriptum, & modicissima, & quæ ne quidem adverti potest, capitis ad librum conversio, prorsus nihil dedecoris habet. Nisi itaque consuetudinem desuper ostendere queant, suam hanc causam nunquam evincant. Aliud foret, si oculus non tantum excæcatus, sed etiam erutus foret; caverna enim illa

in caput profunde recedens, justi utique horroris causa foret, saltem nisi, quod facere solent, oculo quodam artefacto indecorum illud vacuum expleatur.

§. 912.

Ad defectus animi, vel si mavis corporis, certe ad defectus *naturales* pertinet *etas* minus congrua. Hæc jam ætas, seu temporis spatium debet considerari, vel inde a *nativitate*, vel a nuper jam *susccepto ordine*. Jam ætas naturalis ad primam tonsuram, & minores Ordines definita non requiritur, dummodo initiari volens usu rationis, & requisita scientia sit instructus. *Ad Subdiaconatum nullus in posterum ante vigesimum secundum; ad Diaconatus ordinem ante vigesimum tertium; ad Presbyteratus ante vigesimum quintum ætatis suæ annum promoveatur TRI-DENT. Sess. XXIII. C. XII.* Hos tamen annos non completos, sed inchoatos tantum requiri, usus, & communis auctoritas docet.

§. 913.

Ætas, seu temporis spatium ab uno Ordine ad alium exigendum vocatur *interstitia*, de quibus verba CONCIL. TRI-DENT. *Sess. XXIII. C. XI. C. XIII & XIV. vide.* Et quidem ibi constitutum est,

est, ut ad Presbyteratum a Diaconatu, & ad hunc a Subdiaconatu, ac denique ad Subdiaconatum inde a susceptis ordinibus minoribus annus integer intermedius requiratur; *nisi* quod C. XI. additur, *necessitas, aut Ecclesie utilitas, iudicio Episcopi aliud exposcat.* *

- * Utrumque autem tam s^o priore, quam s^o præsentis requisitum tempus iuste ab Ecclesia requiritur: ne scilicet repente populi christiani magistri esse velint, qui vel per ætatem nil nisi discipuli esse possunt. Tum vero maxime concedet, ut per singulos gradus probe exerciti, tanto muneri digne præparentur, & non a profano vitæ genere ad ipsa *Sancta Sanctorum* unico velut saltu, aut pene volatu perferantur.

C A P U T X.

De effectibus SS. Ordinum.

- §. 914. Ad effectus ordinum referenda est imo gratia, 2da character, 3tio certa quædam potestas: quæ quidem
- §. 915. In Episcopatu, Presbyteratu, & probabiliter in Diaconatu est divinæ institutionis.
- §. 916. Hic proin officia Ostiarii, & Lectoris;
- §. 917. Exorcistæ & Acolythi;
- §. 918. Tum Subdiaconi,
- §. 919. Et Diaconi;
- §. 920. Mox Sacerdotis, & tandem
- §. 921. Episcopi referuntur.
- §. 922. Quartæ classis effectus sunt variæ obligationes: inter quas refertur Imo orationis certum pensum, & frequentior SS. EUCHARISTIÆ usus. Atque ut his Clerici liberius vacare queant,
- §. 923. Eisdem IIdo varia profana negotia interdicit Ecclesia; quæ

§. 924.

- §. 924. *Illitio* Insuper voto perpetuae castitatis adstringit Viros ecclesiasticos:
- §. 925. Denique *IVto* ipso habitu eisdem a reliquis discretos esse desiderat.
- §. 926. *Ultima* demum species eorum, qui sacris ordinibus adhærent. effectuum consistit in quibusdam favoribus qui clericis competunt: quorum primus est *privilegium fori*, & secundus *privilegium Canonis*; tertius vero est *titulus*. Privilegio Canonis prohibetur
- §. 927. IN CONCIL. LATERAN. *Ido*, ne Clericus, vel Monachus impie percutiatur. Et ejusmodi percussor injurius
- §. 928. Potest esse quivis rationis compos, etiam *mulier*, *impubes*; solo mandato, aut consilio concurrens.
- §. 929. Ipsa vero percussio debet esse *gravis* simpliciter, & insuper *sacrilega*.
- §. 930. Unde ex variis titulis excusatur.
- §. 931. *Pœna* vero in hoc crimen statuta est *excommunicatio major*, a qua tamen diversi possunt absolvi.
- §. 932. *Tertius* demum Clericorum seu favor, seu obligatio est *titulus*.

§. 914.

Ex iis, quæ Sacramento Ordinis *extrinsecus* accedunt, §§. 849 & 708, ultimum est EFFECTUS ejusdem. Et hic effectus sacris ordinibus conveniens est diversus, & fere ad quinque classes referri potest. Et *primus* quidem, aliisque Sacramentis communis est *gratia sanctificans*; & quidem non initium, sed augmentum ejusdem (nisi forte per accidens) eo quod Ordo sit Sacramentum *vivorum* §. 578. Per eandem rationem dat Ordo jus ad gratias *actuales*, seu pie, recteque vivendi auxilia. Inprimit insuper qui est *alter* hujus Sacramenti effectus, *characterem* indele-

delebilem animæ; & quidem diversi ordines dant diversum juxta plerosque, aliis non nisi unicum ex Sacramento Ordinis characterem agnoscentibus. Et hunc effectum cum aliquibus, scilicet Baptismi, & Confirmationis Sacramentis communem habet Ordo. *Tertius* vero eidem est singularis scilicet *sacra* quædam *potestas*, aliquid agendi circa divina mysteria, præcipue circa Augustum illud Eucharistiæ Sacramentum.

§. 915.

Cum vero sacra potestas effectibus ex jure divino descendentibus accenseatur, id duntaxat de potestate Episcoporum, & Presbyterorum, & fere etiam Diaconorum certum est. De reliquis ambiguum manet, an potestatem ex jure divino propriam sibi obtineant, sicut incertum manet, an ipsimet illi Ordines a CHRISTO, vel ab ECCLESIA instituti sint §. 854 & seq. * Juvat tamen singulorum Ordinum munera breviter recensere.

- * Id maxime Ordines minores, imo Subdiaconatum, & ipsum etiam Diaconatum videtur premere, quod nullum officium ita sibi proprium habeant, ut eodem non etiam laici, si Ecclesia velit, rite, efficaciterque fungi queant. Dicunt equidem, „hominem nullo Ordine „insignitum talia munera non proprio jure, „sed ex beneficio tantum Ecclesiæ, obire; „e. g.

„e. g. ad aram servire, epistolam cantare &c.
 „Contra vero eum, cui sacer Ordo est collatus, ex auctoritate divinitus sibi concessa tale munus exequi:“ Nam hoc ipsum maxime disceptatur, an e. g. Subdiaconus divino, vel humano jure functiones suas peragat. Dein vix videtur CHRISTUS pro eo munere Sacramentum aliquod speciale instituisse, quod Ecclesia suo duntaxat arbitrio recte conferre potest. Quare hoc argumentum etiam ipsius Diaconatus divinam institutionem oppugnat: quæ tamen § 854 habentur, graviora videntur.

§. 916.

Itaque officium *Ostiarü* est, ut *excludat* infideles, id est nondum baptizatos: excommunicatos, & per magnam partem etiam Cathecumenos, saltem ut Sacrificio, & Sacramentorum dispensationi non possint interesse. *Lectoris* est prophetias, seu vaticinia veteris legis publice prælegere, & Cathecumenos aliosque doctrina christiana imbuere.

§. 917.

Exorcista in energumenis dæmonem coercet, ut majori quiete sacris adstare queant. *Acolythus* vinum, aquam, & luminaria ad Sacrificium defert.

§. 918.

§. 918.

S*ubdiacono* calicem, patenam, panem & vinum proxime ad Sacrificium ministrandi, & aquam vino admiscendi, denique solemniter epistolam cantandi munus competit.

§. 919.

D*iaconi* præcipuus actus est Evangelium solemniter cantare, Sacerdoti sacrificanti proxime inservire: aliquando etiam Eucharistiam, solemnem Baptismum, & Verbum DEI dispensare.

§. 920.

S*acerdos* jam præcipuum, & nobilissimum ex omnibus actum exercet, divinum scilicet novæ legis Sacrificium obeundo. Præterea accedente sibi jurisdictione §. 775 a peccatis absolvit, Sacramentum Extremæ Unctionis confert, aliaque plurima sibi propria habet.

§. 921.

E*piscopus* insuper Ordines, & Sacramentum Confirmationis de lege ordinaria confert. Item præcipuam aliquam, & pro ut moderni potissimum tuentur, jurisdictionem proxime a DEO sibi collatam exercet.

Præ-

Præterea ex jure tamen humano, nihilominus tanquam actum Ordinis, non jurisdictionis sibi proprium habet, consecrare Ecclesias, altaria, calices, aliaque multa sane.

§. 922.

Jam variæ obligationes *quartam* eorum effectuum classem constituunt, quæ ex sacris Ordinibus nascuntur. §. 914. Hæ porro obligationes variæ sunt, & plerumque ex jure humano descendentes: eoquod Ecclesia merito sollicita sit, ut eorum vita aptissimis legibus circumscribatur, qui reliquorum omnium norma ex officio muneris sui esse jubentur. Et *Imo* ad excolendum animum, eumque cœlestibus imbuendum sensibus definitum aliquod orationis pensum, scilicet horæ canonicæ plerisque clericis imperantur: de quibus jam a §. 485 tractavi. Et quidem etiam in minoribus ordinibus constituti a CONCIL. TRIDENT. *Sess. XXIII. C. IX.* sequens seu consilium, seu præceptum pro se scriptum habent: *Ut in eis cum ætate vitæ meritum, & doctrina major accrescat, quod & bonorum morum exemplum, & assiduum in Ecclesia ministerium, atque major erga Presbyteros, & superiores Ordines reverentia, & crebrior quam antea corporis CHSISTI Communio * maxime comprobabunt.*

babunt. Similia eadem Sess. C. XIII. sciantque, maxime decere, si saltem diebus Dominicis, & solemnibus, cum altari ministraverint, Sacram Communionem perceperint.

- * Tanti Senatus - Consultum in causa fuerit, ut in pluribus jam diocesisibus certus confessionum saltem numerus per annum ab iis expleri ex statuto publico debeat, qui ad sacros Ordines aspirant. Idque præcipiunt præter alia laudatissima capita, quibus vigilantissimi Præfules ad gravissimum, ac pene infiniti momenti pastorale munus & optimos seligere, & electos optime comparare satagunt. Certum quippe est viles, ac exiguæ frugis mercenarios in sacro negotio futuros esse, qui sacrorum nullum usum, nullum sensum habere videntur; quique ad severitatem evangelicam prædicandam nullos altiores cogitatus afferre possunt, quam quos in libertate academica hauserunt.

§. 923.

Certe officia Sacerdotis gravissima sunt, publica insuper, & Sacrosancta: unde merito omnes, qui vel integrum Sacerdotium, vel ejus partem sibi collatam habent, non quidem ex jussu Ecclesiæ, sed vi muneris sui perennem sacris exercitationibus operam dare tenentur, quæ quidem in omnibus juste vivere desiderantibus est opinione major §. 464: in Sacerdotibus vero

Pars III. Th. Mor. F etiam

etiam singularis *. Et licet Ecclesia hanc mensuram minime definiat, eandem tamen vehementer exoptat, vereque requiri declarat. Dum eos ab omni profano negotio, quantum potest, sequestratos esse præcipit, idemque fere circa Personas sacras facit, quod circa dies festos constituit, scilicet ut toti a strepitu negotiorum vacui, atque toti ad actus religionis liberi, expeditique existant. Quare in primis *interdicitur eisdem omnis negotiatio Can. 2, 9, 10. dist. 88. Cap. ultim. de vita & honest. TRIDENT. Sess. XXIII. C. I.* item ea, quæ a negotiatione parum distant, mentem vero a sacris maximopere abstraunt, qualia sunt *oambium, confectio auri chymici, c. 10. de vit. & honest. cleric.* Præterea eisdem prohibetur *venatio* (solemnis saltem, & frequens) *l. 1, & 2. de Cleric. venat.* Insuper *tripudia, & saltationes: TRIDENT. Sess. XXIV. C. XII.* Ac denique præter alia quam plura *usus larvarum* aut certe *inceffus personatus C. 15. de vit. & honest. cleric. ***

- * Hi enim justam religionis mensuram non implentes, non tantum sibi, sed etiam aliis deerunt; & frigus suum afflabunt illis, quos vimuneris calefacere deberent. Jam aliquando innui, legitimum circa sacra, & æterna sensum in Ecclesia vel ex eo deficere, quod nobis Sacerdotibus tantum luminis, & ardoris non suppetat, ut sufficientem ejus portionem in alios dispensare possimus.

Operæ pretium faciam, si super hac re ex CONCIL. TRIDENTIN. *Sess. XXII. Caput primum de Reformat.* exscribam. *Nihil est, quod alios magis ad pietatem, & DEI cultum assidue instruat, quam eorum vita, & exemplum, qui se divino ministerio dedicarant. Cum enim a rebus sæculi in altiore sublati locam conspiciantur, in eos tanquam speculum reliqui oculos conjiciunt, ex iisque sumunt, quod imitentur. Quapropter sic decet Clericos in sortem DOMINI vocatos, vitam moresque suos omnes componere, ut habitu, gestu, incessu, sermone, aliisque omnibus rebus nihil nisi grave, moderatum, ac religione plenum præferant: levia etiam delicta, quæ in ipsis maxima essent, effugiant. - - - ut quæ de luxu, comestationibus, choreis, aleis, lusibus, - - nec non sæcularibus negotiis fugiendis copiose, ac salubriter sancita fuerunt, eadem in posterum - observentur.*

Et quidem plura disciplinæ capita per usus contrarios, & sic consuetudine abolita, & jus humanum circa hoc mitigatum esse facile admiserim: sed leges divinæ, ac naturales vitam honestissimam in Clericis attentè excelsa, quam obtinent, conditione necessario requirerentes nulla per mores nostros dispendia pati potuerunt. Innuit hæc idem Concil. eodem loco statuens: *Siquæ vero ex his in desuetudinem abiisse compererint; ea quamprimum in usum revocari - - studeant, non obstantibus consuetudinibus quibuscunque &c.*

§. 924.

Verum neque sic Ecclesiæ Clericos suos ab omni profano affectu purgare volentis sollicitudo quiescit; sed insuper ab

F 2

omni

omni carnis illecebra, quacum Spiritus Purissimus ægre componi potest *I. ad Corinth. VII. 32, 33, 34.* eos longe remotos esse desiderans, (id quod inter obligationes *III^{tio}* loco refertur) perpetuæ continentiae vinculo innectit omnes, qui majoribus ordinibus initiantur; adeo ut non tantum matrimonium contrahere eisdem non liceat, sed etiam ut tale matrimonium irritum futurum sit. TRIDENT. *Seff. XXIV. Can. IX. **

- * Et quidem in Ecclesia latina (alla enim disciplina obtinet in Ecclesia græca) omnes Subdiaconi ex voto castitatis, quale suscipiendo Ordinem majorem emittere tenentur, ab omni actu venereo abstinere perpetuo obligantur, sacrilegii, aut certe peccati contra religionem noxam contracturi, sive absque matrimonio, sive in matrimonio, etsi irritò, ejusmodi delectationem quamcunque deliberate admiserint.

De eo quidem DOCTORES dissident, an hæc obligatio proxime ex voto, vel ex præcepto Ecclesiæ nascatur. Id tamen omnibus est certum, quemlibet ad emittendum votum, vel si hoc emittere studiose noluerit, ex lege ecclesiastica ad eandem semper continentiam religionis causa teneri. Vide *can. 1, & 3. distinct. 28, & c. unic. de vot. in 6.*

S. 925.

Insuper ut animum ab omni profano affectu alienum exterior etiam habitus ostendat.

ostendat, & clericos perpetuo desuper com-
monefaciat: jubentur *IV^{to} tonsuram*, &
vestitum specialem velut sacrae militiae in-
signia deferre. Et quidem hæc obligatio
quantum ad eos, qui in majoribus consti-
tuti, vel sine tali ordine beneficio eccle-
siastico potiti sunt, est gravis * *Can. pe-
nultim. distinct. 23. & Clementin. 2. de
vit. & honest. cleric.* denique TRIDENT.
Sess. XIV. cap. XVI. Qui vero non nisi
minoribus, aut omnino sola prima tonsura
infigiti sunt, ad habitum, & tonsuram Cle-
ricorum non adstringuntur ** nisi quod mox
dictum est, beneficium jam obtineant.

* Tales tamen, qui scilicet sine ecclesiastico
vestitu incedunt, aliquando gravem obligatio-
nem evadunt, scilicet si id secreto, ad breve
tempus, aut ex gravi ratione fiat.

** In minoribus constituti, nisi habitum, & ton-
suram deferant, non gaudent *privilegio fori*,
id est, jurisdictioni, & potestati politicae sub-
diti manent. Imo quod aliqui volunt, etsi
fors minus probabiliter, tales nequidem *pri-
vilegium canonis* obtinent: seu quod idem est,
qui eos injuriose percusserit, propterea ex-
communicatus non esset.

§ 926.

Ordines, qui clericos tot, & tantis of-
ficiis obruunt, eisdem aliquos favores
& beneficia tanquam quintum effectum im-

pertiuntur, §. 914. Et sunt bina privilegia, *fori* scilicet, & *Canonis*; tum vero *titulus*. Ex privilegio *fori* Clericis competit exemptio a potestate iudicii sæcularis, fiuntque speciali, & sacro foro obnoxii TRIDENT. *Sess. XXV. c. XX.* Quantum vero ad privilegium *Canonis*

§. 927.

INNOCENTIUS II. in CONCIL. LAT. RAN. II^{do} statuit, ut *siquis suadente diabolo huius sacrilegii reatum incurrerit, quod in Clericum, vel Monachum violentas manus injecerit, anathematis vinculo subjaceat, & nullus Episcoporum illum presumat absolvere, nisi mortis urgente periculo; donec apostolica conspectui presentetur, & ejus mandatum suscipiat.* Circa quam constitutionem Succedentes varia mutarunt, quorum pleraque ad quatuor capita reduci posse arbitror: scilicet considerando *percutientem*, ipsam *percussionem*, *panam* contra hoc delictum latam, denique *modum*, quo quis ab eadem liberatur.

§. 928.

Itaque injuriosus *percussor* potest esse, quisunque homo rationis compos, sive vir, sive mulier; seu Laicus, seu Clericus, etiam

etiam impuberes *c. 1. de sentent. excommunicat.* Et hi quidem pœnæ in hoc crimen statutæ obnoxii sunt, sive ipsimet percusserint, sive consilio, aut mandato suo, & alterius ope hujus percussiois causa extiterint. *C. 6. de sentent. excommunicat.* Quorsum etiam pertinent faventes, & consentientes: dummodo tale mandatum, consensum, consilium &c. ipsa percussio reapse subsequuta fuerit *. Præterea etiam is percussor fuisse censetur, qui percussioem se infcio, nomine tamen suo factam, exinde ratam, & acceptam habet. *C. 23. de sentent. excom. in 6.* Imo, qui est rigor legum contra delictum istud, neque ille ab hac pœna (in foro saltem exteriori, & ex præsumptione) immunis manet, qui dum potuisset, percussioem clerici non impedivit: nam prout loquitur *c. 47. de sentent. excom. eos delinquentibus favere INTERPRETAMUR, qui, cum possint, manifesto facinori, desinunt obviare.*

* Si enim imperata percussio casu, aut quacunque ratione fuerit omissa, aut siquidem reapse facta sit, ea tamen non vi imperii, aut consilii &c. tui facta sit; pœna hac non involveris. Ubi etiam graviter advertunt, malum consilium, & mandatum retractando quemque sibi consulere posse, si modo alteri ante delictum executioni datum retractatio hæc intimetur. Et quidem mandatum facilius, quam consilium tam in causa hujus, quam alterius

cujuscunque peccati efficacia sua destitui potest. Si enim jussionem tuam irritam esse alteri denuntiaveris, ille aut mox cessabit, aut certe non tua auctoritate, sed ex propria malitia perget. Si vero consulueris, rationes impellentes docendo, vel viam & rationem nocendi ostenderis, hoc factum tuum causa mali, & via ad injuriam esse perget, et si poenitentia ductus alterum dehorteris, injuriam inferri nolis, consilium male suggestum retractes, te dictorum poenitere denunties &c. Alter vero nihilo secius rationes a te suggestas sequatur.

§. 929.

Ipsa vero *percussio* debet esse *suadente diabolo* facta, id est, debet esse graviter injuriosa, & quidem quantum ex titulo religionis iniqua. Unde ab hac excommunicatione liberat omne id, quod a peccato sacrilegii excusat. Quod fit *1^{mo}*, qui reapse non percutit, & quod percussioni æquivalet violentas manus Clerico non injicit. E. g. quia ictus, scelopum, baculus fefellit; quia ab altero impeditus fuit. *2^{do}*. Qui nescivit huc esse Clericum, vel si ignoravit Clericum percutere esse sacrilegum, aut sub poena excommunicationis prohibitum. Insuper

§. 930.

Ab hac noxa excusant omnia ea, quæ hanc percussione[m] justam, aut saltem non

non graviter iniquam faciunt. In leve enim peccatum gravis adeo pœna non statuitur. Quare immunes sunt *1^{mo}*, qui sese contra vim a Clerico illatam defendunt, *2^{do}*, qui jure, & correctionis gratia eundem percutiunt, e. g. Prælati, moderator &c. *3^{tio}* Qui leviter adeo percutiunt, vim inferunt, ut hæc injuria etiam considerata dignitate clericali levis esse censeatur*, *4^{to}*. Si percussio gravis equidem, sed actu minus deliberato, & qui ad lethale peccatum non sufficiat, a quopiam fiat. **

* Alias percussio ista dividitur in *enormem*, *gravem*, & *levem*. Vide constitutionem JOAN. XXII. In corpore juris non contentam, quæ incipit *perleſis*. Ubi tamen *mediocris*, & *levis* percussio talis dicitur comparate ad *enormem*, & quod ab ea etsi publica, & *notoria* Episcopus queat absolvere per *c. 17. de sentent. excommunicat.* Reapse tamen ista etsi *levis* dicta, debet esse grave peccatum, alias excommunicatio pro ea non infligeretur, e. g. si quis ex levi ira Clericum sibi molestum cubitu, vel manu a se removeret &c. An vero hæc constitutio sit usu recepta, & quousque vigeat, ex singulorum locorum moribus, seu consuetudine metiendum erit. Putant enim hanc subtilitatem pene ignotam plerumque non attendi.

** Cæterum hæc *percussio* est non nihil amplæ significationis: non enim sub ea intelliguntur sola verbera, plagæ, aut vulnera; sed etiam quævis clerico illata vis, e. g. si per gravem injuriam vi detineatur, conspuatur, si vestes,

quibus modo indutus est, discindantur, lapidibus, aut luto impetatur &c. Non tamen vox percussio sub se continet, alias etsi gravissimas, non tamen ipsi corpori illatas injurias. Sic non excommunicantur, qui ædes, vestes, quibus modo non est indutus, in odium Clerici destruunt; qui voce, scripto, gestibus eundem turpissime derident &c.

§. 931.

Pena §. 927 in sacrilegos hosce percussores est excommunicatio latæ sententiæ, Pontifici reservata. *c. 29. caus. 17. q. 4.* Ab ea tamen possunt *absolvere* §. 927, præter Pontificem *1^{mo} legati a latere c. 20. de sentent. excommunicat. & Nuntii Apostolici per idem cap. 2^{do}. Episcopi*, si percussio sit occulta. TRIDENT. *Seff. XXIV. c. VI.* vel licet sit publica, si reus ex gravi causa non possit adire Pontificem *c. 26, & 58. de sentent. excom.* quales per capitula *1, 6, 9, 11, 13, 26, & 29. eodem titul.* tot sunt, ut vix supersit, qui ab hac regula non sit exemptus: præterquam quod aliunde specialis licentia ab Episcopo, vel reo ipso facile possit obtineri. Insuper Episcopi jure ordinario absolvunt ab excommunicatione ob *levem* percussio- nem §. 930 * ab aliquo incurta. *Levis* autem ea ex declaratione JOAN. XXII *in laudat. constitut.* est, quæ, etsi per gravem injuriam facta, nullum tamen, sui indi-

dicium, seu maculam reliquit, 3^{tio}. Ab hoc vinculo absolvunt viri quorundam Ordinum religiosorum, pro foro tamen interno duntaxat, & si delictum sit occultum: idque vi privilegii desuper concessi. Demum 4^o in articulo & periculo mortis quilibet Sacerdos rite absolvit; ita tamen, ut recuperata sanitate, vel periculum evadens, & alia excusatione cessante, ei debeat se listere, cui extra mortis periculum absolvendi potestas competit. C. 13, 26, & 58. de *sentent. excommunic.*

§. 932.

Tertium demum favorem ex sacris ordinibus redundantem §. 926 commemoravi *titulum*: licet etiam iste utpote multum oneris habens, inter obligationem, & beneficium anceps fluctuet. Juvat autem hic verba CONCIL. TRIDENT. *Sess. XXI. c. II. de Reformat.* adscribere: *Cum non deceat eos, qui divino ministerio adscripti sunt, cum Ordinis dedecore mendicare, aut sordidum aliquem quæstum exercere: - - - Statuit sancta Synodus, ne quis deinceps Clericus secularis - - - ad sacros Ordines promoveatur, nisi prius legitime constet, eum beneficium ecclesiasticum; quod sibi ad victum honeste sufficiat, pacifice possidere. Id vero beneficium resignare non possit, nisi facta mentione,*

tione, quod ad illius titulum sit promotus. - - Patrimonium vero, vel pensionem obtinentes ordinari posthac non possunt, nisi illi, quos Episcopus judicaverit assumendos pro necessitate, vel commoditate Ecclesiarum suarum &c. Ex quo apparet, triplicem a lege scripta titulum agnosci, quorum primus est titulus beneficii. Secundus titulus patrimonii vel pensionis, si scilicet vel ex propriis bonis, aut certis quibusdam redditibus honeste sustentari queat. Tertius est titulus professionis religiosæ, ipso Tridentino (præter alia jura) eundem in eadem sessione tacite agnoscente, dum pro solo clerico *seculari* titulum beneficii, vel patrimonii requirit. *

- * Quartum genus tituli est a consuetudine inventum, in nostris provinciis frequentissimum, & omnibus consideratis, nostris Ecclesiis plane necessarium, vocaturque *Titulus mensæ*: dum scilicet vel communitates, vel divites privati sub certis ab Episcopo requisitis conditionibus fidejudent, aut constituta insuper in bono quodam immobili hypotheca cavent, de Clerico honeste sustentando, in eum tamen eventum solummodo, quo Clericus sine dedecore sibi ipsi providere non posset.

Illud etiam ex verbis Tridentini facile colligitur, quod talis titulus non nisi pro majoribus ordinibus requiratur: dicit enim *eadem sessione*, § *capite: ad sacros Ordines*: nam etsi omnes Ordines sint sacri, in jure tamen receptum est, ut Ordines majores ob perenne votum castitatis simpliciter sacri dicantur.



TRACTATUS XIII.

D E

SACRAMENTO MATRIMONII

CAPUT I.

De consensu ad sponsalia requisito.

- §. 933. In MATRIMONII negotio oportet quinque gradus discernere; scilicet 1mo sponsalia, 2do contractum Matrimonii, 3tio statum Matrimonii, 4to ejusdem usum, & 5to demum prolem.
- §. 934. Et quidem sponsalia sunt futuri matrimonii mutua, & legitima promissio. Unde
- §. 935. Infertur Imo, ab eis omne impedimentum, dirimens, & perpetuo impediens abesse debere:
- §. 936. IIdo. Consensum ipsum debere esse mutuum, ab errore, & gravi metu immunem;
- §. 937. Item & IIItio per signa exteriora satis proditum.

§. 933.

U t in amplissimo hoc, frequenti usui, ac totidem pene controversiis obnoxio negotio feliciter pergamus; quatuor, aut omnino quinque matrimonii conditiones, ac veluti gradus considerare necessum est: quos, quia non satis quandoque discern-

scernimus, totum obscurum redditur. Itaque *primo* loco intelligi debent *sponsalia*, quando scilicet duo sibi futurum matrimonium promittunt. Hæc sponsalia *secundo* loco sequitur *contractus matrimonii*, seu ille consensus utriusque, quo se in conjuges mutuo recipiunt. Et in isto consensu juxta ea, quæ inferius dicam, consistit septimum, de quo modo tractabimus, *Sacramentum*. Ex isto jam consensu nascitur *tertio* scilicet, *jus matrimonii*, quod est perenne quid, & status quidam, quo duo conjuges ad actum matrimonii obligati manent. Hoc tamen jus, & stabile vinculum mysterium aliquod CHRISTI cum Ecclesia, aut potius cum anima justa unionem representans, neutiquam novæ legis Sacramentum est. Si porro & *quarto* quidem, hi conjuges suo, quod habent, jure utantur, & proli generandæ dent operam; dabitur *actus matrimonii*, atque exinde datur *matrimonium consummatum*. Et si *quinto* demum actus iste sæcundus sit, dabitur *proles*, & *finis matrimonii*, quantum ad præsentem doctrinam *, & receptam sententiam.

* Mox dixi *quatuor aut quinque* gradus attendendos esse. Dubito enim, an proles reapse in hac *moralis* scala aliquem gradum constituat, contra ac communissime alias sentiunt. Nam præterquam, quod omne pietatis officium in prolem

lem primum nascituram in dubium jam supra §. 341 vocaverim: insuper suspicandi hic novum aliquod argumentum se offert. Scilicet actu matrimonii legitime exercito non est in arbitrio parentum prolem generari, vel non generari. Cum igitur actus matrimonii ultimum sit, quod est in libertate conjugum, facile sequitur, etiam hunc ipsum concubitum illud ultimum esse, quod conjugibus morale, & ad officium pertinens est. Prolem enim ex opera matrimonii per omnes partes perfecta, nasci, vel non nasci quantum ad parentes accidens, ac fortuitum est. Ut quis non adeo absurde fors diceret, prolem matrimonii effectum non *moralem*, sed duntaxat *physicum* esse: cum utique conjuges quantum ex natura matrimonii, & mutuo vinculo non ad habendam prolem, sed tantum ad conatum habendi proli obligari queant. Quo conatu, & opera præstita obligationi integre satisfactum esse, & sic matrimonii finis moralis intelligitur. Fere sicut colonus suam Domino cuidam ad colendum fundum operam locans, cultum, & non fructus illius agri promittere potest. Unde præstito labore, & recepto desuper pretio contractus locationis conductionis, perfectus est, & finitur, sive fructus sint nati, vel non sint nati.

Proli aliquando conceptæ, & sic jam existenti utique plurima debentur: & tunc incipit nova series officiorum, quæ tamen non ex vinculo matrimonii, sed Communione sanguinis, quæ parentem inter, & prolem obtinet, originem ducit. De hac tamen infra.

§. 934.

Cum itaque SPONSALIA ad præsentem causam se *primo* loco offerant §. 933. Circa hæc notare juvat *ea*, quæ eisdem *conveniunt*, & amica sunt; & exinde *illa*, quæ hoc vinculum *dissolvunt*, eique ad-versantur. Sponsalibus vero *conveniunt* duo, & maxime quidem utriusque sponsi *consensus*; utpote quo *consensu* constant, & perficiuntur: tum vero eisdem conveniunt ii *effectus*, quos producant. Defini-mus jam sponsalia *, quod sint *futuri ma-trimonii mutua, & legitima promissio*. Quæ definitio magnam partem sumpta est ex *c. 3. caus. 30. q. 5.* habetque communem consen-sum sibi suffragantem.

- * *Sponsalia* utique *de futuro* quæ vocant. Nam aliquando, rarius tamen, ipsum matrimonium *ratum*, id est, legitime jam contractum; sed actu conjugali nondum *consummatum* sortitur nomen *sponsaliorum*, quæ vocamus, *de præ-senti*.

§. 935.

Ex qua definitione deducitur *Imo* aliqua ad ea constituenda requiri ex *parte promittentium*: scilicet ut nullum inter eos impedimentum *dirimens* * vel perpetuo *im-pediens* consistat.

- * Sponsalia namque sunt *promissio* utique *valida*, id est, obligationem producant; jam nulla po-
test

test dari obligatio ad præstandum aliquod *impossibile*, vel *illicitum*; & qui laborant impedimento *dirimente* non possunt nubere, qui vero impedimento *impediente* tenentur, mutuo nubere prohibentur: unde facile apparet, quod durante alterutro impedimento, matrimonium utpote vel impossibile, vel illicitum efficaciter sibi non possint promittere.

Non enim potest dari obligatio ad iniquum perpetrandum. Sic sponsalia posteriora prioribus nondum solutis sunt ipso jure naturæ nulla; essent enim obligatio fidem alteri datam fallendi. Equidem pactum de procuranda *dispensatione* impedimenti, id est, conventio, qua nubere volentes legis sibi obsistentis relaxationem petere statuunt, hæc inquam tenet, sed non in vim sponsaliorum: nam promissio petendi dispensationem, non est promissio nubendi. De ipsis autem impedimentis agam inferius.

§. 936.

Eadem definitio docet *II^{do}*, quod ipse actus ille, quo sponsalia statuuntur, scilicet ipse *consensus* habeat quædam necessaria tum *interius*, scilicet in mente spondentium, tum *exterius*, & quantum ad sensus. Scilicet consensus quantum ad interiorem sui conditionem debet esse *primo mutuus* *, *secundo* quidem simpliciter **, dein ab errore ***, ac tandem a gravi, & injusto metu alterutri sponсорum incusso **** *liber*, & *vacuus*.

- Hanc enim qualitatem jura, & ipsa definitio requirit. Una parte promittente, & altera acceptante, sed nihil repromittente, - - dabitur quidem obligatio prioris, non tamen posterioris, & sic neque sponsalia. Raro tamen gratuito, & sine repromissione se obstringere solent: & sic non nisi habita obligatione alterius partis se obstringere censentur, nisi de hoc definite constet.
- Scilicet *legitima*, vera, & sic efficax promissio sunt sponsalia §. 394, jam quod non est liberum, non potest esse morale §. 34, & sic neque causa vinculi moralis, id est obligationis. Et quia septennio nondum expleto usus rationis, & sic etiam libertatis censetur abesse: ideo jura non probant sponsalia ineunda ab iis, qui septimum annum hucusque non compleverunt. *C. 1. de Desponsat. impuber. in 6.* Imo sponsalia ex notabili præcipitatione inita periculum patiuntur ex *c. 24* & *26. de Sponsal.*
- Iste vero error potest versari vel circa *Personam*, e. g. si quis voluerit sponsalia inire cum *Berta*, cui se substituit *Caja*. Et ista sponsio juræ naturæ est nulla: eoquod in ea non sit consensus duorum de eodem. Vel potest versari circa *qualitatem*, seu causam motricem spondendi: & iste error rursus pactum facit *juræ naturæ* nullum, si in conditionem adducatur; vel facit, ut a judice, vel etiam ab altera parte, quæ decepta fuit, irritari queat *c. 4. de exception.*; seu quod idem est, est pactum, quod *beneficio legum* suo robore potest privari. Nam jure Naturæ nullus metus, nullusque error (nisi is versetur circa substantiam, de qua contrahitur) conventiones nullas reddit, prout alibi: & quidem contra communio-riorem præcipue modernorum evincere satagam. Inter alia vid. §. 947. Sed

Sed etiam error iste *qualitatis*, qui contractum jure naturæ validum relinquit, aliquando debet *manifestari*; aliquando vero *reticeri* potest. *Manifestari* debet, si matrimonium grave rediturus sit, e. g. si Sponsus prolem ex scorto exspectare debeat. *Reticeri* potest, si nullum ex tali errore detrimentum in futurum matrimonium sit redundaturum; etsi alias tale vitium foret legitima causa reiliendi. Cujus exemplum est, si perfidus sponsus post inita jam sponsalia, & sic contra fidem datam cum alia rem habuisset. Et ita usus, & communis sententia obtinet, quibus sponsi suum etiam consensum accommodare censentur. Si tamen pars innocens ejusmodi resciat, mox poterit fidem sponsaliorum dissolvere.

Metum etiam iniquissimum nec matrimonio, nec ulli contractui nocere mox dixi, & uberius dicturus sum agendo de justitia §. 1160. Ex jure humano matrimonium mox, & ipso actu facit nullum. Sponsalia vero facit primum auctoritate judicis irritanda: vel etiam ista absque sententia, & sola legum ope jam esse nulla defendunt multi, quibus grave argumentum suppetit ex l. 16. ff. de Sponsal.

§. 937.

Quia sponsalia sunt *promissio* §. 934: promissio vero non obligat, nisi sit acceptata, prout habet certa sententia; hæc insuper acceptari non queat, nisi a parte altera intelligatur: ideo ex definitione §. 934 sequitur, *III^{to}*. ad sponsalia requiri, ut animi *consensus per aliqua signa*

satis *prodatur*. Hæc vero signa possunt *verbis*, vel *factis* constare: quæ quidem verba vel sunt *clara*, & nullum de contraria intentione juramentum admittunt *L. 7. §. 2. ff. de suppellect. leg.* aut eæ verba vel ex proprio sensu, vel ex circumstantiis sunt *ambigua*; & res juramento decideri, aut si hoc fieri non queat, reus absolvi debet *c. 3. de probat.* Sed & *facta*, quibus consensus sponsalitiis manifestari potest, sunt vel *ajentia*, vel *negantia*, aut potius *tacentia*. Ad priorem classem pertinentia exempla sunt immissio annuli, donationes sponsis consuetæ *. Quorsum etiam potest aliquando pertinere actus quidam turpis consummatus cum tali femina, quacum dubia alias sponsalia constant.

- * Hæc tamen se solis, & aliis deficientibus non sufficiunt: sed debuit accedere mentio aliqua matrimonii, aut alia signa etsi seipsis dubia duntaxat. *C. 11. de præsump.*

C A P U T II.

De Effectibus Sponsaliorum.

- §. 938. Sed ex eadem definitione §. 934 intelligitur *IVto effectus* sponsaliorum, qui est *obligatio de inundo matrimonio*. Cui
- §. 939. Per *Vtam* consecutionem accedit effectus *secundarius*. Et isto consistit in *legitimis auxiliis*, quibus pars inconstans ad servandam fidem adigitur. Idque vel *per sententiam* Judicis,

§. 940. Vel per *exactionem pretii* obtinetur.

§. 941. Ubi de *Arrhis*,

§. 942. & *pænis conventionis spondentium statutis* agitur.

§. 938.

Alterum sponsalibus conveniens caput constituunt *effectus* eorundem §. 934. Et quia sunt *futuri matrimonii promissio*: ex definitione semper eadem eruitur *IV^{to} primarius* quidam, & naturalis * sponsaliorum *effectus*, scilicet de ineundo matrimonio. Qui rursus est duplex, *directus* scilicet, seu proximus; & est obligatio ducendi sponsam, nisi iusta causa solutionem hujus conventionis permittat *c. 10. de Sponsal. & Matrim.* Alter vero ex effectibus primariis vocatur *indirectus*; & est obligatio, ne ponatur impedimentum, quo matrimonium nimium differri, vel arduum reddi, vel omnino penitus impediri contingat. Et ista obligatio per vulgaria jura, & magis ex ipsa natura pacti evincitur.

* Præter naturales sponsaliorum effectus, datur etiam præcipuus aliquis ex auctoritate legum: estque impedimentum, quo matrimonium cum Sponsæ consanguineis fors ineundum dirimitur; & vocatur *impedimentum publicæ honestatis*, de quo proxime.

§. 939.

Ex definitione §. 934 statuta præter effectum *primarium* mox commemoratum,

tum, *V^{to}* loco eruitur effectus quidam *secundarius*, & sunt auxilia, quibus pars altera ad solvendam quacunq; ratione fidem adigi potest; sponsalia sunt *promissio legitima*; promissioni autem legitimæ natura, & leges efficaciter assistunt. Idque fit vel per *sententiam* judicis, vel per *exactionem* pretii. Et iudex quidem partem renitentem vel *monere*, aut si id non sufficiat, debet infligere pœnas, & quidem juxta ordinem a CONCIL. TRIDENT. *Sess. XXV. c. III.* descriptum. Ex quo, ni fallor, apparet, quod etiam in hac causa ultimo demum ad censuras deveniendum fit, si alia scilicet vis aut non suppetat, aut adhiberi non queat.

§. 940.

Altera ratio, qua sponsus obstinax ad explendam promissionem adigi potest, *exactio pretii* est §. 939, quod quidem non ad fidem sponsalitiã præstandam, sed ad eam potius compensandã vicaria quasi ratione exigitur. Hæc vero multa solvi debet vel ex *sententia judicis*, vel ex *conventionem sponsorum*. Iudex vero inique resilientem hac pœna condemnare debet, *parte* innoente etiam *invita*, si ex coacto tali matrimonio scandala, aliaque mala prævideantur, prout plerumque prævide-

videri debent. *C. 17. de Sponsal.* vel si pars innocens compensationem aliquam pro jure ex sponfalibus sibi competente *acceptare velit.* Et quidem id certo, si pars innocens damnum aliquod ex dissolutis sponfalibus patiatur *c. ultim. de injur. & dam. & probabilius* etiam tunc, quando eadem exinde nullum fors detrimentum sustinere cogatur. *

- Judex injuste refraganti ex officio potest, & debet pœnas infligere §. 939, ergo etiam pecuniariam, quæ aliis est minor: *Regul. Jur. 53 in 6.* Equidem nil profanum pars læsa potest exigere pro jure, quod habebat ad futurum matrimonium: bene vero pro injuria illata, quæ utique nihil est spirituale, seu sacrum. Denique quod injuria tibi a perfido aliquo illata non noceat, tua bona fors est, non beneficium iniqui illius, qui proin prosperam fortunam tuam non potest computare in compensationem perfidiæ suæ: fere sicut damnum ex tua malitia combustæ domus reparare teneris, etsi alteri domus æque pretiosa a quopiam donata fuerit. Constat etiam, quod hanc opinionem plurium tribunalium consuetudo confirmet.

§. 941.

Verum exactio pretii quandoque locum habet ex prævia *spondentium conventionione* §. 340, quorsum pertinet *arrhæ, & pœnæ conventionales.* Jam circa *arrhas* aliud jus est *dantis* eas, aliud *accipien-*

piensis easdem. Et dans quidem arrham *perdit*, si inique resiliat; vel arrham de-
nuo *recipit*, si fidem servaverit *L. 5. c. de sponsal **. Arrham vero *accipiens* (nisi consuetudo aliud habeat) alteri parti fidem servanti vel *simpliciter* reddit, si fides ex neutra parte sit servata; vel *duplicatam* reddit, si ipsa, id est, pars accipiens perfida evadat. *Vid. l. 3, & 5. c. de Sponsal. ***

* Usus tamen in nostris partibus habet, ut secuto matrimonio arrham accipiens retineat, & tanquam sponsalitiã largitatem lucretur. Sponsalitiã autem largitas ab arrha in eo differt, quod ista sit *res tradita a Sponsis per modum pignoris in securitatem futuri matrimonii*. Illa vero, id est, sponsalitiã largitas est *donatio ab alterutro, vel utroque sponso facta non in pignus servandæ fidei, sed simpliciter in signum amoris*. Unde secuto matrimonio etiam de jure scripto manet accipientis *l. 12. c. de donat. ant. nupt.*

** Quod si sponsalia ex justa causa dissolvantur, omnes arrhæ ad dantem redeunt: non enim permittunt leges, ut matrimonia inter invitos ex solo arrhæ perdendæ metu coalescant. *L. 5. c. de Sponsal.*

S. 942.

Prævia spondentium conventio etiam *pænas conventionales*, quas vocamus, in securitatem sponsaliorum quandoque statuit

tuit §. 941. Quæ quidem ab arrhis ex eo tantum differunt, quod hæ sint res in securitatem *traditæ*; illæ vero tantum in casum perfidiæ innocenti promissæ. Unde eadem de his, quæ de arrhis jura obtinent, excepto solo, quod primum post perfidiam pretium pœnæ tradi debeat, arrha vero utpote jam prius tradita retineri possit: prout colligitur ex *l. 5. c. de Sponsal.* *

- * Pœnas sponsalibus ex conventionem adjici posse verior, ut puto, sententia obtinet, contra alios id negantes: de quo non vacat disputare. Nostra tamen sententia intelligi debet de pœna, quæ a perfido, non vero ex justa causa nuptias detrectante solvi promittitur *c. 29. de Sponsal.* seu aliter, nos non nisi pœnas in casum perfidiæ statutas probamus: qui enim juste resilit, bene agit; & proin nulla pœna mulctari meretur. Unde ejusmodi pœnis iniquis resistunt leges.

C A P U T III.

De adversis Sponsaliorum, seu de legitimis causis eadem dissolvendi.

- §. 943. Verum eadem semper definitio §. 934, dat *Vito* loco intelligere *causas sponsalia dissolventes*. Inter quas *ima* est *mutuus consensus*:
- §. 944. *Altera* vero alterutrius *perfidia*; quorum spectant
- §. 945. *Sponsalia*, aut omnino *matrimonium* cum novo sponso constitutum.

- §. 946. **ULTIMO** demum Corollarie ex definitione sponsalium habetur, per omnes causas hoc vinculum dissolvi, quas ad hunc effectum leges probarunt.
- §. 947. Ad quas referendus est *casus*, id est, magna vel
- §. 948. Circa *bona animi*;
- §. 949. Vel *corporis*, aut *famæ*;
- §. 950. Vel demum *fortunarum* facta mutatio;
- §. 951. Sive hæc *post* sponsalia, sive *ante* illa contigerit. Dummodo eadem alter hucusque ignoraverit. Ubi demum
- §. 952. Pauca de modo *dissolvendi* sponsalia adduntur.

§. 943.

Cum sponsalia sint *promissio* §. 934, facile intelligitur, & *VI^{to}* quidem, quod eadem per omnes eas causas dissolvantur, quæ ad dissolvenda quæcunque pacta ab *ipsa natura* sunt generatim statutæ §. 1178. Conventiones autem de jura naturæ tolluntur vel *mutuo consensu*, vel alterius *perfidia*. *Consensus* autem vel liberat utrumque, & debet esse *mutuus* *i. regul. jur **; vel liberat tantum *alterutrum*; scilicet si alter solus juri suo renuntiet. *i. regul. jur. in 6*. Idque facit vel *verbis*, vel *facto* aliquo, quocum matrimonium non potest componi. E. g. si voto promittat ingredi religionem; vel etiam quod probabilius est, si sacros Ordines suscipere, aut castitatem servare voveat. Sic enim ostendit, se nolle nubere, & quod consequens est, matrimonium a sponsa non exigere. Licet propterea ista jure sibi acquisito plerumque non teneatur cedere.

* Im-

- Impuberes tamen ante completam pubertatem ne quidem mutuo consensu à sponsalibus recedere possunt; pubertatem vero adepti pro arbitrio, & altera licet parte invita, nulla in super suffragante ratione possunt resilire c. 7. § 8. de desponsat. impuber.

§. 944.

Perfidia vero sponsalia dissolvens contingit, vel eadem justo tempore *non implendo*: vel omnino *alteri adherendo*. Justo diutius non implentur, si sponsus absque licentia sponsæ diutius absit c. 5. de Sponsal. vel si alias etsi ex justa causa, matrimonium contingat nimium differri, nisi prævie, aut ex intervallo in tantam moram pars altera consenserit; secus enim moræ ordinariæ consensum suum alligasse censentur l. 14. ff. de R. J. Certius vero, & majore ratione cessat sponsalitia obligatio ex ea perfidia, qua alteruter sponforum *alteri* cuidam *adheret*: seu id fiat vel per *fornicationem*, vel per *nova sponsalia*. Porro fornicatio vel est *consummata*, & sic simpliciter partem innocentem liberam reddit; vel est tantum *inchoata* e. g. oscula, tactus, aliaque fæda ejusmodi initia, & ista sponsam *certo*, sponsum vero *probabilius* tanta nota afficiunt, ut pars honesta intemperantem adeo sponsum merito refugiat. Tales enim contra regulam desponsatio-

sationis agunt, prout argumentum suppetit
ex c. 25. de jurejurand.

§. 945.

Perfidia genus alterum perpetratur in-
eundo nova cum alio sponsalia, qui-
bus pars fidelis mox liberatur a sua obli-
gatione: pars infida autem adhuc tenetur,
si nova sponsalia sint de futuro matrimo-
nio; aliud, si nova ista sponsalia sint de præ-
senti, id est, si non tantum sponsalia, sed
ipsum matrimonium cum alio sponso, et si
perfide, contrahatur. C. 1. de sponsal. *

- * Sed an soluto iniquo tali matrimonio pars de-
cepta executionem sponsalium possit exigere,
disceptatur inter D. D. verior sententia habet,
quod adhuc recte petat: priora enim sponsalia
perfidi infidelitate non potuerunt extinguere;
matrimonium vero eadem non nisi sopire,
seu eorum effectum ad tempus aliquod impe-
dire potuit, ut proin impedimento sublato
mox reviviscant, aut potius obligare pergant.

§. 946.

Demum cum sponsalia sint *promissio le-
gitima*, id est legibus conformis, ex
definitione nostra §. 934, non adeo ægre
sequitur ULTIMO: sponsalia cessare per om-
nes eas rationes, quas ad eadem disjun-
genda leges probarunt. Cum vero humanæ
con-

constitutiones sequantur legislatorum arbitrium, & simpliciter necessariæ non sint; eas rationes, quæ vi legum sponsalia tollunt, in alia membra partiri non possum, quam in ea, quæ *a casu*, & in ea, quæ ab *impedimentis* veniunt. Facile enim intelligitur, eos, qui matrimonium contrahere non possunt, de eo contrahendo, id est, de negotio sibi impossibili, sponsionem præviam constituere non valere §. 935. Idem vero dicendum, si impedimentum, licet impediens tantum, superveniat §. 935. *

- * Hic tamen agitur de impedimento post contracta sponsalia primum orto: si enim tale jam prius extitit, illud sponsalia non tam dissolvit, quam potius obstat, ne primum, & initio constitui queant. Sic e. g. sponsalia ab eo, qui voto solemnè castitatis tenetur, ne quidem iniri possunt: quod si vero iis aliquando & legitime conventis, ex intervallo alteruter sponsorum votum solemnè castitatis emitat, tunc sponsio prius efficax primum extinguitur.

§. 947.

Et quidem de *impedimentis* alibi tractaturo solus in præsentī *casus* contra sponsalia faciens est evolvendus *. Et talis post sponsalia primum *feri*, vel antea jam factus post eadem primum *resciri* potest. Casus initis jam sponsalibus contingens generatim est omnis illa circumstantia, quæ

si prius jam obtinuisset, in hanc sponsionem pars altera nunquam consensura fuisset. Tot vero horum *casuum* sunt *species*, quot *diversa bonorum genera* dantur, quæ sponso alias, & ante hac fors competebant.

- * Mirabitur quis forte, quod causas dissolvendi sponsalia, quæ ex circumstantiis notabiliter mutatis veniunt, ad eas referam, quæ non ex jure naturæ, sed ex arbitrio legum descendunt §. 946. Putant enim in omni conventionem subaudiri inter alias conditiones etiam sequentem: *Si res in eodem statu permanserit.* Verum hanc conditionem non natura, sed leges, vel privata paciscentium arbitraria non semper, sed aliquando duntaxat assumunt: alias ipsa matrimonia, gentium pacta, & pacificationes, imo privatæ conventiones innumeris vicibus irritarentur, quod nemo probabit. Sic tu heri frumenta tua pro vino commutare spondidisti, vel etiam pro pretio vendidisti; hodie ab aliquo duplum pro iis pretium offertur tibi: an audes a data fide tua recedere? & tamen circumstantiæ notabiliter sunt mutatæ. Scilicet, prout §. 1165, & seq. evincere satagam, nisi erretur circa rem promissam, aut actio promissa impossibilis, vel prohibita evadat; de jure naturæ nulla alias vis, error, fraus, metus, aut circumstantiarum mutatio, constituta aliquando pacta relaxare possunt, nisi mutuus consensus, aut alterutrius perfidia: satiusque est patriam, aut integram gentem perire, quam datam aliquando fidem non servari §. 1155, & seq. Puta nisi tales eventus prævie ad contractum speciatim in conditionem sint adducti,

§. 948.

Prima bonorum classis constituitur ex iis, quæ ad *animum* pertinent; suntque *bona gratiæ*. Usus enim rationis, perspicax ingenium, reapse sunt dotes corporis, & nativitatis: animam enim ipsam omnes homines fat probabiliter prorsus æqualem sumus nacti; ut adeo illa geniorum, ac indolum diversitas a diversis organis, succis, & humoribus, qui nobis ingenerantur, repeti debeat. Jam sponsus quantum ad bona animi, seu gratiæ diversas omnino vices subire potest, ex quibus alteri sponso resiliendi iusta causa præbetur. Talis porro sunt mala vel *præsentia*, vel *futura*: præsentia animi mala sunt *hæresis*, & *quævis morum improbitas*. *Argument. ex c. 25. de jurejur. & c. 13. de restitut. spoliat.* Mala vero animi *futura* sunt difficiles exitus ex tali futuro matrimonio imminentes, seu ab *ipsis sponsis c. 2, & 17. de sponsal.* seu ab *aliis e. g. parentibus, cognatis, magistratibus*: sive dein hi jure, sive ini- que tali matrimonio adversantes, illud arduum, vel etiam animæ periculosum reddaturi sint. *Per eadem cap. 2, & 17. de sponsal.*

§. 949.

§. 949.

Detrimenta *corporis* seu honorum *secundae* classis, inter causas contra vim sponsaliorum valentes computari debent, morbus non facile pellendus; magna deformitas; sterilitas; jactura virginitatis, per oppressionem etiam violentam facta. *Argument. ex c. 25. de jurejurand.* Quibus addendum *tertium* genus damnorum, scilicet si *fama*, & *bona* sponsi *existimatio* forte pereat, isque infamis reddatur. *Argument. ex c. 25. de jurejurand.*

§. 950.

Quartum genus bonorum, & notabilis circa illa mutatio legitimam a sponsalibus recedendi causam non raro suppeditat. Scilicet si *una pars* ad inopiam vergat, speratam dotem non possit afferre c. 3. *de apposit. condition.* * Vel etiam si *utraque pars* fortunis suis exuatur: sic enim præter expectationem, aut prævium consensum difficile matrimonium tolerare deberent. *Argument. ex c. 2, & 17. de sponsal.*

- * Sed quid si alteruter sponsorum repente ditior evadat, insignem nobilitatem, aut alias eminentem fortunam capiat, altero in priore sua conditione remanente? ex communi sententia pars felicior datam aliquando fidem omnino servare tenetur, eoquod pars altera nec culpam commiserit, nec deterior sit redita,

dita. Et quidem quantum ex jure naturali de hoc nequidem dubitandum §. 947 *. Sed postquam leges tam amplam sponsalibus libertatem statuerunt, & eam conditionem: *Si res in eodem statu permanserit*, quantum ad negotium sponsaliorum perpetuo velint intelligi: ego saltem retractationi locum esse putarem. Nam pars altera non quidem quoad se, sed quoad feliciorum illam facta est deterior: & negotium in eam circumstantiam adductum est, a qua nunquam initium accepisset; seu aliter: *Res in eodem statu non permansit*. Neque obest meæ opinioni: quod Sponsus minus felix nullam culpam commiserit, & quod aliena fors eidem fraudi esse non debeat: nam si iniquo facto bonis suis exuatur, nullam ex eo culpam incurrit; & nihilominus alteri a pacto sponsali recedendi libertas inde acquiritur. Neque ex eo se tueri potest, quod ex bonis suis nihil perdiderit; neque in aliquo indignior evaserit: nam hoc verum est de bonitate absoluta, & simpliciter æstimata; non item de eadem bonitate, ac dignitate sub comparatione ad alterum spectata. Certum autem est in negotio matrimonii posteriorem, id est bonitatem *comparativam*, seu *relativam* potius, quam priorem seu absolutam pensari solere, sic ea mulier, cui mille floreni pro dote sunt, dives sponsa est, ad sponsum, qui non nisi ducentos habet; contra vero paupercula æstimatur pro sponso, cujus facultates octoginta millia excedunt: & tamen tali sponsæ sui mille floreni iidem semper, ac integri persistant. Scilicet Sponso ad multo feliciorum sortem evectio, sponsa non quidem simpliciter, sed tamen *relative*, id est, comparate ad sponsum deterior est facta. Nisi fors consuetudo alicubi, præcipue in tribunalibus aliud habeat.

§. 951.

Porro aliquæ circumstantiæ jam ante inita sponsalia existentes, nihilominus non nisi post eadem jam constituta primum *resciuntur* §. 947. Verum de his eadem obtinent, quæ de mutationibus post sponsalia evenientibus a §. 947 hucusque dixi. *Argument. c. 4. de exception.* Dummodo ab altera parte vere ignorata fuerint: alias enim ista in conditiones etfi difficiles consensisse censeretur. *

- * Excipiunt plerumque unicam fornicationem a sponso (aliud de Sponso) ante sponsalia commissam; si ex hoc delicto proles non existat. Audio tamen usum nostra ætate obtinere, ut sponsæ contra talem (siquidem ejus delictum ignoraverit antea) excipiendi, & vel semel intemperantem repudiandi facultas competat.

§. 952.

Ad dissolvenda desponsationis vincula non tantum *legitima* causæ; sed etiam *legitimus* modus requiritur, de quo copiosius disputare aliis relinquimus. Juvat tamen summa circa modum hunc capita delibare. Itaque sponsalia dissociantur vel *privata*, vel *publica* auctoritate: *Illa* sufficit, si causa manifesta alterutri suppetit, parte licet altera multum invita *. Quod si negotium sit obscurum, ac controversum, *publi-*

publica, id est iudicis auctoritas requiritur *L. 1. c. ne quis in sua caus.* In tali porro iudicio pars recedere volens plerumque indiget *probatione*, seu argumento *pleno c. 4, & 23. de test. & attest.* Aliquando vero sufficit probatio *minus plena*: quando scilicet pro causa tollendi sponsalia affertur impedimentum dirimens, aut etiam impediens tantum, etsi illud dubium duntaxat sit. Tunc enim agitur de peccato vitando; contra peccati vero periculum levius etiam argumentum admittitur. *c. 12. de sponsal. & c. 22. de test.*

* Aliud enim in iure non requiritur: quod si alicubi præcipiatur, ne sponsalia mutuo consensu, aut ex alia quacunque ratione disjungantur, nisi interveniente e. g. Parocho &c. id non ad jus commune, sed ad speciales constitutiones pertinent, quibus Episcopi variis incommodis obviare intendunt, quæ quidem in negotio sponsalicio frequentissima sunt.

C A P U T IV.

De Natura Matrimonii, prout est septimum novæ legis Sacramentum.

- §. 953. *Matrimonium vel est ratum vel consummatum. Illud jam*
 §. 954. *Definitur esse novæ legis Sacramentum, consistens in eo contractu, quo duo sibi jus in corpora ad actus generationi aptos mutuo tradunt.*
 §. 955. *Constat etiam hoc Sacramentum materia, & forma, circa quæ, prout circa Ministrum*

H 2

§. 956.

- §. 956. Datur *controversia*, in qua
 §. 957. Mihi verior sententia est, *contrahentes ipsosmet* hujus Sacramenti *Ministros* esse.
 §. 958. Illud certissimum est, quod *consensus* requiratur, qui vel *absolutus*, vel *modo aliquo affectus* esse solet.
 §. 959. *Modi* ejusmodi vel *suspendunt* actum, suntque *conditiones*, vel *non suspendunt*. Priores rursus sunt de *futuro*,
 §. 960. Vel de *præsenti*, aut *præterito eventu* conceptæ.
 §. 961. Variæ tamen *conditiones in matrimonio speciale* jus obtinent.
 §. 962. Modus matrimonium *simpliciter afficiens* §. 959 est *quadruplex*: ex quibus
 §. 963. *Primus* est *tempus adjectum*, quod
 §. 964. Quandoque vim *conditionis* obtinet.
 §. 965. *Secundus* modus est *speciali significatione* talis:
 §. 966. *Tertius* modus consistit in *causa adjecta*.
 §. 967. *Ultimus* demum vocatur *demonstratio*.

§. 953.

Sponsalia subsequitur ipsum MATRIMONIUM §. 933: dum scilicet duo sponsi matrimonii vinculo illo se constringunt, quod inter se constituere per sponsalia promiserunt. Aliud tamen matrimonium vocatur *ratum*; aliud vero *consummatum*. Prius est ille ipse contractus, quo duo conjuges jus in corpora mutuo tradunt, & de quo in præsentibus tractamus; alterum vero datur, quando conjuges jure suo utentes, & generandæ proli operam dantes matrimonium *consummare* dicuntur. De quo postea & quarto loco disseram §. 933. & 1020.

§. 954

§. 954.

Hoc jam matrimonium, quod inter christianos initum, *ratum* * vocatur, definiendum esse videtur, quod sit *nova legis Sacramentum consistens in eo contractu, quo duo sibi jus in corpora ad actus generationi aptos mutuo tradunt.* Et quidem dignitatem Sacramenti matrimonio vindicat insuperabilis auctoritas CONCIL. TRIDENT. *Seff. XXIV. Can. I.* ita definiens: *Siquis dixerit, Matrimonium non esse vere, & proprie unum ex septem nove legis Sacramentis a CHRISTO Domino institutum, sed ab hominibus in Ecclesia inventum: neque gratiam conferre, anathema sit.* Et quidem de dignitate Sacramenti inter catholicos maxime convenit: an vero reliquis definitionis nostræ particulis plena hujus Sacramenti notio contineatur, minime certum est: prout mox patebit; juvat autem hanc definitionem tenere, & ad factam forte interrogationem referre, utpote quæ saltem pro errore nemini imputabitur, cum nihil contineat, quod falsum, aut controversum sit.

- * Contractus enim matrimonii inter non baptizatos vocatur matrimonium *legitimum*, id est, contractus legibus conformis, etsi nulla Sacramenti Dignitate sublimis; eoquod Sacramentorum non nisi baptizati sint capaces. C. 7. *de divort.*

§. 955.

Recepto jam more hoc Sacramentum explicaturus de iis, quæ illud *constituunt*, & postea de *extrinsecus illi convenientibus* tractabo. Hoc porro Sacramentum æque, ac alia constat *materia*, & *forma*, utpote quibus ejus natura absolvitur: exterius autem illud concernunt *Minister*; *recipiens* seu *subiectum*; ac denique *effectus* ipsius.

§. 956.

Verum de *materia*, & magis adhuc de *forma*, & *Ministro* hujus Sacramenti dissidemus. Hic jam aliqui *corpora contrahentium* pro materia; *consensum* vero, aut certe ejus *exteriorem significationem*; aut acceptationem pro forma statuunt, ipsos proinde contrahentes, seu *conjuges* pro ministris matrimonii habentes. Alii vero, & quidem moderni potissimum consensum, seu *contractum* pro materia admittunt; cui *solemnia Sacerdotis* (quem hujus Sacramenti Ministrum faciunt) *verba* tanquam formam assignant*. Verba vero fere hæc, aut similia debent esse: *Ego vos in matrimonium conjungo; in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.*

* Hi utique facile, vel etiam necessario asserunt, non tantum inter *infideles*, id est, non baptiza-

tizatos conjuges, sed etiam inter christianos legitimum dari matrimonium posse, quod tamen non sit Sacramentum, si nimirum duo christiani matrimonium ineant, Sacerdote fors praesente quidem, sed hisce nuptiis consueta formula non benedicente. Licet contractum a Sacramento separari posse, passim etiam illi tueantur, qui ipsis conjugibus munus Ministri imponunt: putant enim tunc dandum fore matrimonium, quod non sit Sacramentum, quando conjuges contrahendi matrimonii, non item Sacramentum sibi mutuo ministrandi intentionem habuerint.

§. 957.

Quibus vero rationibus, & testimoniis suam causam pars utraque tueatur, passim datur legere. Mihi recentior, seu secunda sententia multum probata fuit, donec in partem alteram pertraxit, aut certe inter utramque medium me haerere fecit sequens ratio: impedimenta ab Ecclesia statuta matrimonium etiam clandestinum, & ante CONCIL. TRIDENT. ex judicio, & jussu Ecclesiae dirimebant. Jam si contractus ipse non esset Sacramentum, sed tale primum fieret per formulam Sacerdotis, Ecclesia inefficacia impedimenta, & quidem in causa ad se minime pertinente statuisset, eoquod contractus sine Ministro Sacramenti, maneret profanus per omnia, & sacrae Potestati minime obnoxius: ma-

trimonia verò clandestina non obstante impedimento ante TRIDENT. CONCIL. mansissent legitima. Imo idem CONCILIUM eadem clandestina matrimonia irritare non potuisset, utpote, quæ ad Ecclesiam non spectarent, si contractus ipse Sacramentum non esset. Et tamen in eodem CONCIL. *Sess. XXIV. Can. IV.* tanquam fide divina certum definitur: *Siquis dixerit, Ecclesiam non potuisse constituere impedimenta matrimonium dirimentia, aut in iis constituendis errasse; anathema sit.*

§. 958.

Quidquid vero in hac causa verum sit, illud ab omnibus certum habetur, quod ad matrimonium constituendum utriusque *consensus* vel tanquam materia, vel tanquam forma requiratur. Unde de hoc non nihil diligentius agendum est. Ut vero iste consensus ad inducendum, seu efficiendum matrimonium sufficiat, indiget iis omnibus, quæ de *jure naturæ* ad pactum, seu contractum generatim requiruntur. Itaque quantum ex jure naturæ possunt sponsi in matrimonium & quodvis aliud pactum consentire vel *absolute*, id est, absque omni adjecto modo, vel non nisi sub aliquo *modo*. Et quidem consensus *absolutus*, id est, penitus perfectus, atque a nulla
cir-

circumstantia dependens facile intelligitur, nullamque nobis molestiam faceffit. E. g. si sponsi dicant: *Accipio te in conjugem.* Consensus vero alicui modo alligatus negotium non raro reddit arduum. E. g. si dicatur: accipio te, *si dives evadas*, vel: *Si dives jam sis.* Item: *Quia dives es.* Aut quod rursus est aliud: *Ut dives evadas.* Ac denique, *accipio hanc, quæ dives est.* Quæ omnia tanquam vere diversa, attente distingui debent, prout mox dicetur.

§. 959.

Jam *modus*, cui consensus contrahentium quandoque adstringitur, vel *suspendit* ipsum consensum, vel eundem *simpliciter afficit*. Modus consensum *suspendens* est *conditio* *, quæ rursus aut omnibus pactis *communis*, aut matrimonii contractui est *specialis*. Prior suspendit vel ipsum *actum*, seu consensum, & sic totum negotium; vel tantum *cognitionem*, & scientiam ejusdem: conditiones ipsum actum suspendentes sunt proprii nominis conditiones, suntque illæ, quæ eventu contingente, & *future*, eoque *incerto* concipiuntur. §. 4. *in instit. de verbor. obligat.* E. g. duco te, *si aliquando dives futura sis.* Harum autem vis alia est *ante* conditionem imple-

H 5

tam,

tam, ita ut negotium vere faciant pendere, & utramque partem obligent ad expectandum eventum conditionis mutuo statutæ. *L. II. §. 1. ff. qui potior pignor.* Altera vero harum conditionum de futuro virtus se exserit *impleta jam conditione*, ita ut sine novo consensu negotium valere incipiat, & ita quidem, ac si illud jam ab initio penitus perfectum fuisset: atque ut eædem hæc conditiones ex intervallo evenientes per omnia retro operentur, *l. II. ff. §. 1. qui potior in pignor.* **

* *Conditio, seu consensus conditioni alligatus solet per particulam si exprimi; e. g. Emo a te fundum, si cognatus meus dimidium pretii persoluturus sit pro me.*

** *Si e. g. ante biennium promisisti dicens: Fundum hunc tibi modo jam cedo, si intra biennium nobilis evadas: & si alter, cui hæc promisisti, nobilis sit, effectus; fundus jam abs nova conventionem est ejus, & ita quidem, ut utilitas, & fructus ultimo biennio collecti ipsius sint, aut certe compensari debeant. Idem enim est, ac si jam ante biennium eum fundum pleno jure accepisset.*

§. 960.

Conditionum genus *alterum* non ipsum negotium, sed tantum ejusdem cognitionem retardant §. 959, & tales sunt conditiones de *presenti*, aut de *præterito* eventu, iplis licet contrahentibus hucusque

que ignoto. §. 6. in *instit.*, de *verborum obligat.* Et hæ reapse non sunt conditiones, nihil enim impediunt, aut adstringunt: sed mox totum aut obtinet, aut concidit. E. g. *dono tibi centum, si Pater tuus sit mortuus.* Hæc donatio jam nunc aut perfecta, aut penitus nulla est. Unde quidquid aliqui sentiant, semper habentur *pro adjectis*, etsi sint *impossibiles*, aut *turpes*, de quibus mox. Sic nullum est pactum: *Dono tibi centum, si heri in Africa, & America per aliquod horas extitisti.*

§. 961.

Aliquæ vero conditiones matrimonio sunt *speciales*, id est, fere in solo matrimonio speciale quoddam jus inducunt §. 959. Et hæ vel habentur *pro adjectis* *: & tales sunt omnes conditiones *possibiles* simul, & *honestæ*: vel habentur *pro non adjectis* **: & sunt conditiones *impossibiles*, vel *turpes*, id est, iniquæ *c. ultim. de condition.* ***

- * *Habere* aliquam conditionem *pro adjecta* idem dicit, ac eandem attendere, pensare, ita, ut ea conditione non eveniente, negotium sit nullum. Contra vero
- ** *Habere* conditionem *pro non adjecta* significat, quod ad talem conditionem non attendatur, quodque negotium pro legitimo & efficaci habe-

beatum, sive ea conditio impleta sit, sive minime evenerit: seu quæ ita est, ac si non adesset.

*** Ab hac tamen regula in causa Matrimonii tres conditiones excipiuntur, quæ etsi turpes, & impiæ sint; nihilominus pro adjectis habentur. Suntque tres sequentes, quæ contra Matrimonium, & præcipua tria illius bona pugnant: *Putat si alter alteri dicat: contraho tecum, si generationem prolis evites; vel donec inveniam alteram, honore vel facultatibus digniorem; aut si pro quæstu adulterandam te tradas C. ultim. de condit.* Nam hæ conditiones obsunt bono prolis, bono Sacramenti, & bono fidei, quæ tria potissima matrimonii emolumenta esse communi sententia censentur.

Quod vero aliæ turpes, aut impossibiles pro non adjectis habeantur in matrimonio, non adeo expeditum est. Nam consensus jure naturæ ad matrimonii contractum requiritur; nec potest cogitari contractus sine consensu: si vero conditioni e. g. impossibili suum contractantes consensum vere alligaverint, talis consensus reapse est nullus; neque leges defectum consensus in negotio matrimonii supplere posse videntur. Scilicet dicendum est, quod in hoc casu leges hos sponfos ad dimittendam conditionem, & ad purum, absolutumque consensum tacite cogant, eoquod matrimonium, absque vero consensu jus naturæ; separationem vero jus humanum prohibeat. Superest igitur id solum, ut plene, & abs ulla conditione in matrimonium consentiant.

§. 962.

Modus matrimonium *simpliciter* afficiens §. 959, illudque nulla ratione suspendens est *quadruplex*. Estque vel *dies adjectus*; vel *modus in arctiore sensu acceptus*; vel *causa*; vel *demonstratio*. De quorum singulis juvat non nihil diligentius agere, eoquod ista omnia pro aliis etiam pactis attendenda sint: nam in matrimoniis horum usus est rarus admodum, eoquod Parochi (& justissime quidem) vix assistant matrimonio conditione, vel modo aliquo etiam simplici tantum, affecto. Id tamen omnes modi *simplices*, de quibus hoc §^o agitur commune habent, quod etiam deficient, pars aliqua alteram circa istos decipiat, fidem non impleat &c.: consensus tamen, & contractus matrimonii plenum robur obtineat. Singuli vero horum modorum quaedam sibi specialia vendicant. Et quidem tempus explendo pacto designatum, seu

§. 963.

Dies *adjectus* aut est *certus*, aut *incertus*. Certus vero rursus vel est *a quo*, vel *ad quem*, vel *intra quem*. *Diei a quo* * est terminus, a quo res antea promissa peti potest. Ejus effectus est, ut res promissa mox debeatur, licet non possit
peti,

peti, §. 2. *in institut. de verborum obligat.* Si tamen ante illum diem solutum fuerit, repeti non potest. *L. 10. ff. de condict. indeb.* *Dies ad quem* est terminus finiendæ obligationis **. Denique *dies intra quem* est designatio temporis, intra quod fidem suam solvere velit promittens. Unde plerumque talis solutio non potest peti, nisi designato hoc tempore elapso e. g. *hoc anno debita tua expungam*: ut hanc promissionem expleam, nec ultima Decembris potes petere, eoquod vel in ultima hora iste adhuc annus volvatur. *Vid. l. 12. §. 1. ff. quando dies legat.*

* E. g. *Secunda Februarii dabo tibi centum.*

** E. g. *Per hoc triennium alimenta tibi præstabo.*

§. 964

De die *incerto* §. 963 potest dubitari, *an* futurus, vel *quando* futurus sit, si incertum sit, *an* eâ dies adventura sit aliquando, talis adjectio per omnia æqualis est, conditioni de futuro §. 959 *vid. leg. 22. præm. ff. quando dies legat* *. Dies autem certo futurus, ita tamen, ut nesciatur, quando futurus sit, idem est, ac dies *a quo* ** §. 963. *Vid. leg. 17. ff. de condict. indeb.*

* E. g. *Contraham tecum matrimonium primo anno, quo munus aliquod publicum adeptus fueris.*

* *Acci-*

** *Accipiam te anno post mortem Patris tui evoluto.*

§. 965.

Modus in proprio sensu acceptus §. 962, quique per vocem: *Ut, pro, ad* *, solet exprimi vim pacti, non tantum non suspendit, sed illud in suo vigore relinquit, etsi pars ad modum præstandum obligata, eundem explere negligat. *L. 41. ff. de contrah. emt.* Ejus autem effectus est *alius* pro foro *interiore*, seu conscientia; & in hoc quidem tenetur ad eum *modum*, in quem consensit: *Alius* pro foro *exteriore*; & ex hoc competit parti læsæ actio, & jus petendi modum, si rem sub modo promissam ipsa jam præstitit, vel potest excipere contra alteram, quæ rem sub modo promissam primum petit, si hæc modo adjecto deesse velit.

* E. g. *Ducam te, UT ad sacra catholica transeas: dono centum PRO ingressu in religionem: do totidem AD nuptias.*

§. 966.

Inter modos pactis adjici quandoque solitos est etiam *causa* §. 962. Quæ quidem per notam *quia, cum*, & ejusmodi effertur: eamque rationem exprimit, quæ partes ad consensum pertraxit *. Et hanc cau-

causam in *finalem*, & *impulsivam* operose** dividunt: & priorem *conditioni* §. 659 parem faciunt, ita, ut si deficiat causa finalis pactum sit nullum. Deficiente vero altera ex communi opinione valet, quod inter partes gestum est. Verum meo quidem iudicio, discrimen inter has duas causas reapse, & quantum ex jure naturæ*** & maxime in matrimonio est nullum: si aliqua circumstantia pro causa duntaxat consentiendi, & non pro conditione fuerit assumpta****. Et quidem si quis dolo, & studiose ficta ratione alterum in consensum induxit, fraudulentus ejusmodi pro rata doli ad alterum indemnem servandum omnino tenetur juxta omnes: quod si vero abs omni fraude error dedit, causam contractui; iste quantum ex jure naturæ omnino firmus esse debet. Talis enim *voluit*, & *potuit* se obstringere: ergo se obstrinxit. *****

* E. g. *Quia Pater tuus tot in meos beneficia consultit, ideo ducam te.*

** *Finalem* causam eam esse volunt, quam quis *ultimo spectat*, & quæ proinde primo loco ad consensum movit: *Impulsivam* vero vocant, quæ ad consentiendum tantum *impellit*.

*** Fors etiam de jure humano. Certe ex c. 60. de *Appellat. ex l. 2. ff. §. ult. de donat.* pro differentia hac nihil evincitur. Ex ratione naturali nihil potest ad consensum *movere*, nisi quod

quod *intenditur*; quod vero *intenditur*, illud habet rationem *finis*. Quod si consentire jam prius statuisti; & ex intervallo novum aliquod impellens accedat; illud reapse eo ipso, quod moveat, intenditur; & sic pars finis efficitur. Vid. §. 101. Idemque hic fit, quod in curru, quem unicus antea equus trahebat, contingit, si alter equus priori adjungatur. Scilicet currus non bis trahitur, sed tanto minus roboris deinceps exferit prior equus, quantum ex suo nisu addit secundus.

Decretum mentis *causæ* alicui annexum jam datur, etsi ea causa reapse non existat. Causæ enim morales suam vim non exferunt, prout reipsa, sed prout in mente consentientis extant. Quod idem faciunt omnes leges, quæ non pro vera, sed pro ea, quam in conscientia obtinent, natura, & existentia vim suam applicant. Contra vero decretum *conditioni* alligatum nondum vere datur, sed ad eventum conditionis alligatum pendet. Quare si quis ignorans cum sponsa, quæ reapse pauper est, ita contrahat: *Duco te; quia dives es*, valebit matrimonium; nullum vero illud erit, si dicat: *Duco te, si dives sis*.

Quidam e. g. in contractum seu *bonæ fidei* seu *stricti juris*, seu quemcunque demum consensit, quo sibi mille modios tritici comparavit, utique spe lucri, eoquod exercitus ibi transiturus esse publice crederetur. Sed mutata belli alea nihil est factum; an dices, quod talis frumenta sibi antea parata recepto pretio possit priori Domino reddere, vel certe partem promissi pretii retinere; eoquod in causa *finali* deceptus, in eam conditionem pervenerit, in qua nunquam consensurus fuisset?

§. 967.

Ultimus tandem modus est demonstratio §. 962, e. g. *cum isto velim contrahere; hunc fundum emere, non nisi Titiam ducere.* - Iste tamen modus consensus adeo non mutat, ut ad illum tanquam merum signum accedat. Omne enim pactum necessario debet esse *consensus duorum in idem*, prout alibi explicabo: jam opus est, ut tam ille *quocum*, quam res illa, *de qua* consentimus, utrique significata, & definita sit. Quod quidem per particulas: *Hoc, istud, illud* &c. facere solemus; non tamen necessario; sufficit enim, si aliunde, & per quæcunque signa ad eandem voluntatem inducantur, atque in idem consentiant paciscentes.

C A P U T V.

*De Ministro, & de recipiente,
seu Subiecto Matrimonii: ubi de impedimentis impediens.*

- §. 968. Ex iis, quæ matrimonium *extrinsecus* concernunt, primo loco venit *Minister*, incertus tamen.
- §. 969. Alterum ex his est *subiectum*, id est, *recipiens* hoc Sacramentum. Qui proin omni impedimento tam *dirimente*, quam *impediente* carere debet. Ex posterioribus hæc
- §. 970. *Primum* est *tempus sacratum*:
- §. 971. *Secundum* vero *votum simplex castitatis*.
- §. 972. Rursum *tertium* sunt *sponsalia*, quæ cum alia legitime fuerunt *initia*,

§. 973.

- §. 973. Quarto loco venit omiffio, feu neceffitas *denuntiationum*,
 §. 974. Quæ sub gravibus *pœnis* debent præmitti matrimonio; attamen
 §. 975. Non raro ex auctoritate Epifcopi *omitti* poffunt.
 §. 976. *Ultimum* tandem impedimentum impediens poteft effe *Speciale præceptum* de non contrahendo matrimonio.

§. 968.

Pertractatis illis, quæ matrimonium ipfum conftitunt, veniunt ea, quæ illud *exterius* concernunt §. 955. Inter quæ primo loco fe offert MINISTER, de quo non lubet multum difputare, eoquod publice is ignoretur; dum alii *Sacerdotem* nuptiis benedicentem *; alii vero ipfos *contrahentes* matrimonium, hujus Sacramenti Miniftros effe velint §. 956.

- * Post TRIDENTINUM Parochus, aut alius Sacerdos de ejusdem licentia matrimonio intereffe neceffario debet, tanquam testis folemnis; sub hac tamen ratione ex omnium confenfu non agit Miniftrom hujus Sacramenti, fed D. D. qui Sacerdotem matrimonii Miniftrom effe volunt, putant tunc eundem hoc facro munere defungi, quando ad ipfum contractum non tantum quietus testis adftat, fed cum intentione Sacramentum ministrandi folemnia verba tanquam formam hujus Sacramenti pronuntiat §. 956.

§. 969.

Alterum, quod extrinsecus hoc Sacramentum concernit, eft ejusdem SUB-

JECTUM, id est homines illud suscipientes *sponsus* scilicet, & *sponsa* §. 955. Circa quos potissimum curandum est, an omni *impedimento* careant, quo scilicet a contrahendo matrimonio jure prohiberentur. Ejusmodi impedimenta sunt in duplici classe: aliqua enim sunt *impedientia*, seu quæ matrimonium fieri *prohibent*, ita tamen, ut siquidem contractum fuerit, robur, & vim suam obtineat; aliqua vero sunt *dirimentia*, quæ matrimonium insuper faciunt *irritum*, & omni effectu vacuum, ita ut tales contrahentes sub nulla ratione conjuges evadant.

§. 970.

Impedimenta *impedientia* nostro jure (antiquitus erant plura) sunt quinque, quorum duo *religionis*, tria vero titulo *justitie* nituntur. Et primum quidem est *tempus sacratum*, scilicet ab adventu usque ad diem proximam post festum Epiphaniæ, & a die Cinerum usque ad finitam octavam Paschatis. Ut dies hi præcipui, religioni, ac severitati christianæ destinati profanæ lætitiæ strepitu non turbentur. Per hoc vero tempus sacratum prohibentur jure communi publica lætitiæ signa, quæ in solemnitatibus nuptiarum fieri solent, e. g. convivia, saltationes, magnifica

fica sponsæ deductio &c. non vero ipsum matrimonium tranquille, & absque strepitu ineundum * TRIDENT. *Sess. XXIV c. 10.*

* Aliquarum Diocesium speciali jure seu scripto, seu moribus introducto prohibetur hisce diebus sacris etiam ipse contractus matrimonii.

§. 971.

Ratio matrimonium impediendi altera est *votum castitatis* simplex, & votum non nubendi, religionem ingrediendi, sacros Ordines suscipiendi *; siquidem ista sponsalia præcesserint. Si enim post sponsalia primum concipiatur tale votum; illud excepto voto religionem ingrediendi erit nullum, utpote contra jus sponsi emissum **. Qui vero voto simplicis castitatis constrictus matrimonium iniit, primo bimestri nec petere, nec reddere debitum conjugale absque peccato potest, si velit ingredi religionem ***. Quod si matrimonium actu conjugali jam consummatum aliquando fuerit, poterit deinceps debitum reddere, non tamen petere, ut votum castitatis fervet, quantum poterit, nisi hoc votum legitima auctoritate **** relaxatum fuerit. Et hæc de voto simplici castitatis: nam vota non nubendi, vel sacros Ordines suscipiendi contracto matrimonio mox expirant, utpote quorum explendorum facultas nuptiis cele-

bratis nulla superest. Votum denique ingrediendæ religionis non nisi primo bimestri obtinet; eo enim evoluto etiam hoc jam non amplius potest plerumque executioni dari, nisi alter conjux consentiat.

* Tali enim vinculo ligatus, non nisi inique matrimonium iniret.

** Vota tamen, quæ vel per sacrum Ordinem vel per Professionem religionis ab Ecclesia approbatæ solemniter facta, omnino valent contra vim sponsaliorum, cum etiam matrimonium ipsum deinceps contrahendum dirimant juxta §. 995.

*** Hic quæritur, an voto simplicis castitatis, & simul matrimonio rato ligatus teneatur primo bimestri religionem ingredi, eoquod alias nulla superesset ratio, per quam votum suum servare queat. Duobus enim mensibus evolutis, parte altera id petente tenebitur ad usum matrimonii. Verum dicendum est, vim unius voti non adeo gravem esse, ut in favorem unius teneatur duobus aliis æque gravibus votis se obstringere.

**** Qualis auctoritas est nedum in Summo Pontifice, sed contracto Matrimonio, etiam in Episcopo, aliisque speciali privilegio donatis, de quo tamen alibi.

§. 972.

Impedimenta matrimonium *ex titulo justitie impedimenta* §. 970 sunt *sponsalia* cum sponsa aliqua priore constituta,
&

& nondum dissoluta, vid. §. 933, & seq. Potest enim nullatenus contra fidem jam datam matrimonium alteri jam appromissum secundo cuidam sponderi.

§. 973.

Quarti generis impedimentum impediens est *generale* quoddam Ecclesiæ *præceptum* de *prævia*, & *publica* futuri matrimonii *denuntiatione* *, circa quas denuntiationes observanda est *1^{mo}. forma*, qua fieri debet. *2^{do} Pæne* in eos latæ, qui easdem omittunt. *3^{tio}*. Denique *dispensatio*, seu relaxatio hujus legis. *Forma* denuntiandi requirit legitimum locum, estque Ecclesia. TRIDENT. *Sess. XXIV. C. I.* Petit insuper legitimum tempus, scilicet tres dies festos continuos ** & insuper eam horam, qua Missarum solemnia obeuntur. TRIDENT. *eod. loc.* Ac denique hæ trinæ denuntiationes debent fieri a *proprio* utriusque sponsi *Parochæ* ***. Prout colligitur ex TRIDENT, *Sess. XXIV.*

* Pertinent autem trinæ hæ denuntiationes ad detegenda, siquæ forte lateant, impedimenta tam impediencia, quam dirimentia. Et datur gravis obligatio in quolibet, talia denuntiandi, seu deferendi ad Sponsos, & siquidem hi sint malæ fidei, ad Parochum. Neque quis ab hoc officio eximitur, per sigillum naturale, id est, per sponsonem initam de reticen-

do impedimento. Sponsio enim hæc esset promissio rei iniquæ, & sic nulla. Aliud utique de Sigillo *sacramentali*, & de gravi damno, quod impedimentum aliquod prodendo quis posset incurrere.

♥ Festos dies continuos in eo sensu accipiunt, ut inter unam, alteramque denuntiationem nullus alius dies festus intercedat. In pluribus insuper locis probata consuetudo habet, ut una, alterave Denuntiatio die non festo fiat, dummodo eo die sat frequens populus ad sacrum aliquod confluat.

♥ Usus & ratio obtinuit, ut denuntiationes fiant etiam in alienis Parochiis, si alteruter Sponsus non diu ante, & per longius tempus ibidem habitavit; facilius enim ibidem latens forte impedimentum rescietur, quam in nova Parochia, in qua brevi fors tempore hucusque degit.

§. 974.

Omissis denuntiationibus *pæna* §. 973, alia imminet *contrahentibus*, alia *Sacerdoti* tali matrimonio assistenti. Et contrahentes quidem debent carere spe impetrandæ dispensationis, & proles inde nata habetur pro illegitima, si aliquod impedimentum etiam ignorantibus sponis lateat: *Sacerdos* vero incurrit suspensionem, ferendæ tamen sententiæ. Ita TRIDENT. *in sæpius laudat. Sess. XXIV. C. I. & c. ultim. de matrim. contract.*

§. 975.

§. 975.

Ad dispensandam, seu remittendam hanc legem requiritur 1^{mo}. legitima *auctoritas*, qualis est in *Episcopo* vi Tridentinæ constitut. sæpius jam commemoratæ; non item in *Parocho* *, 2^{do} legitima *causa*. 3^{ti} Debita *cautela*, scilicet ut inquiratur, an causa relaxandæ legis subsistat; & an non forte lateat impedimentum. *C. ultim. de Matrimon. contract.* Scilicet quousque hæc inquisitio abs notabili molestia fieri poterit.

- * Nam TRIDENTINUM hanc facultatem tribuit *Ordinario*, sub quo nomine nunquam in jure venit *Parochus*. Si vero in mora periculum, & insuper gravis adlit causa, *Parochus* declarare potest, legem denuntiationum pro eo casu non fringere.

§. 976.

Speciale aliquod *præceptum* de non contrahendo matrimonio singularibus hominibus a Pontifice, Episcopo, vel etiam urgente negotio a *Parocho* potest fieri; quale proin *quintam* impedimentorum impedientium *classem* absolvit, *Vid. C. ultim. de Matrimon. contract.*

CAPUT VI.

De iis Impedimentis Matrimonium dirimentibus, quæ ex jure naturæ, aut divino arbitrio descendunt.

- §. 977. Impedimenta dirimentia vel sunt juris *naturalis*, vel *arbitrarii*. Ad prius pertinent *error*, & *impotentia*:
- §. 978. *Error* tamen debet circa *Personam* versari.
- §. 979. Definitur *impotentia*: ex qua definitione
- §. 980. Intelligitur, qui *Imo*, & *IIdo*.
- §. 981. Item qui *IIIitio*, & *IVto* *impotentes* sunt:
- §. 982. Quales etiam *Vto* *non absolute*, sed ad aliquam tantum personam existunt aliqui.
- §. 983. Ex eadem definitione §. 979 ulterius, & quidem *Vto* eruitur, tale matrimonium esse *nullum*; & *VIIitimo*, tales non nisi ut *fratres* & *sorores* cohabitare posse. Si enim ejusmodi impotentie malum
- §. 984. Matrimonio primum superveniat, per *VIIIvum* *corolarium* tales a *præcipuo actu* necessario debent abstinere.
- §. 985. Aliquod impedimentum est juris divini, estque impedimentum *ligaminis*,

§. 977.

Sponsi matrimonium inter se constituere volentes, non tantum impedimentis matrimonium *prohibentibus*, sed magis adhuc impedimentis illud omnino *irritum facientibus* carere debent. Unde merito de his ipsis *impedimentis*, & de eorum *dispensatione* seu relaxatione agendum nobis est

§. 969. Porro aliqua impedimenta nuptias dirimunt *jure naturæ*: alia vero *jure arbitrario*. Ad priorem classem pertinent *error*, & *impotentia*. *

* Om-

Omnia impedimenta memoriæ gratia in sequentes versiculos coegerunt.

*Error, conditio, votum, cognatio, crimen,
Cultus disparitas, vis, Ordo, ligamen, honestas,
Si sis affinis, si forte coire nequibis,
Si Paroehi, aut duplicis desit præsentia testis.
Raptave sit mulier, nec parti reddita tuta:
Hæc sociata vetans connubia, facta retractant.*

§. 978.

ERROR itaque potest contingere circa *Personam*, quacum contrahitur, & sic matrimonium omni jure est nullum, eoquod non detur consensus mutuus in idem, perdurante scilicet tali errore. *Caus. 29. q. 1. per totam.* Vel potest errari circa qualitatem sponsi aut sponsæ; & iste error rursus matrimonio jure naturæ obest, si ea qualitas in conditionem sit adducta, vel ad designandam personam addita: e. g. *ex duobus ancillis tuis accipiam ditiores.* Si vero qualitas tantum causa motrix ad matrimonium extiterit, error contra matrimonium nihil valet. Vid. quæ a §. 958, & deinceps disputavi de consensu, quo matrimonium constituitur.

§. 979.

Cum vero conjuges per contractum matrimonii sibi mutuo jus in corpora ad actus

actus generationi aptos tradunt §. 954, facile intelligitur, eos jure naturæ matrimonium inire non posse, qui actum generationi aptum in potestate non habent: neque enim se ad impossibile obstringere possunt. Atque hoc est verecundum illud **IMPOTENTIÆ** impedimentum, quod proin quoad *se*, tum quoad *effectus suos* explicare cogimur. Quantum ad seipsam hæc *impotentia* simpliciter tunc datur, *quando semen, seu materia generationi apta in ea mulieris parte, quæ rursus generationi a natura fuit destinata, non potest effundi*: nam semen in debito loco effundere est actus generationis perfectus, etsi proles fors non sequatur. Actus enim suam naturam non perdit, etsi effectum suum edere non queat: & matrimonium aliunde jam non est promissio prolis, sed est sponsio, seu contractus de actu generationis exercendo §. 933. *

§. 980.

Et quia hic versamur in materia juris naturæ, licet rem per consuetas consecutiones explicare. Quare ex definitione impotentiae §. 979 inferitur *Imo.* impotentes, & sic matrimonio ineptos esse eos Viros, quibus semen non est, quales sunt Castrati, vel Eunuchi perfecti, qui utroque testi-

testiculo carent. *Constitut. Sixti V. estque 59. ejusdem.* II^{do}.* Huc pertinere eos, qui etsi verum semen habeant, illud tamen in legitimum locum, seu uterum mulieris immittere non possunt, utpote senio, *perpetua* infirmitate, naturali sanguinis frigore, inepta ipsius corporis structura, vel etiam præstigiis, seu maleficio impedit ** *prout habetur ex toto fere titul. de frigid. & maleficiat.*

* A quibus tamen caute distinguendi sunt steriles, quibus legitima ad generandum potentia suppetit, licet ex aliqua circumstantia obstante proles non sequatur. Generatim vero *steriles* tam mulieres, quam Viri ab *impotentibus* in eo differunt, quod illi legitimum actum, licet non item effectum actus: isti vero ne quidem actum in potestate habeant. Fere sicut in negotio aliquo rustico unus colonus sufficit ad agrum colendum, ex quo tamen cultu fruges haud nascentur: alter vero ne quidem ad cultum agro adhibendum aptus est.

** Morbus, infirmitas virium, & alia quæcumque adeo gravia, & mala pertinacia esse debent, ut consuetis, ac naturalibus auxiliis tolli non queant; alias enim potentia non destructa, sed impedita tantum est. Unde matrimonium cum graviter infirmo constitui posse censent e. g. a concubina, ad hoc, ut ex tali matrimonio recens inito proles antea ex fornicatione nata fiat legitima. - Conjux insuper impotentia hac laborans tenetur incisiones, aliaque auxilia etsi gravia, non tamen eum periculo mortis conjuncta admittere.

§. 981.

§. 981.

Eadem *impotentia* definitio §. 979, *III^{to}* *impotentibus* accenset mulieres *arctas* adeo, ut a viro penetrari nequeant *, prout *IV^{to}* etiam illas, quæ ob sumtas medicinas, vel etiam venenâ sterilitatis, aut quacunque ratione uterum non tantum infæcundum, sed penitus *corruptum*, planeque *putrefactum* habent, ita ut utero carere dicendæ sint. Prout in raro quodam casu fieri posse referunt.

- * Hoc tamen neutquam referendæ sunt illæ, quæ semen legitime receptum retinere non possunt: prout neque illæ, quæ semen habere non videntur, aut dicuntur: nam semen mulieris vel non datur, vel ad *naturalem* generationem non requiri probabilius docent moderni.

§. 982.

Ex notione §. 979 ministrata *V^{to}* datur intelligi, impotentiam aliquando esse *respectivam*, seu comparativam, ita ut ab aliquo cum hoc conjuge minime quidem, cum alio vero omnino haberi queat actus legitimus. *

- * Ubi insuper potest disci, hoc malum esse *perpetuum* quandoque, alia vero vice *temporale* duntaxat: item aliam impotentiam matrimonium *præcessisse*, aliam vero eandem primum *subsecutam* fuisse. De *impuberibus* specialis habetur

betur Ecclesiæ constitutio: scilicet masculi ante annum decimum quartum, & fæminæ ante duodecimum completum a legibus judicantur, seu *præsumuntur* ex defectu ætatis ad actum conjugii inepti plerumque; licet alii citius, aut etiam serius maturescentes ante eum annum a lege statutum matrimonio vacare possint, alii vero serius eidem apti reddantur. Atque exinde statutum est, ut impuberes statum conjugii inire nequeant *c. ultim. de desponsat. impuber.* nisi malitia suppleat ætatem, id est, nisi ante annos in jure assignatos pubescentes ad generandum apti efficiantur *c. 3. eodem.*

Equidem jure naturæ ii non sunt vere impotentes, aut a matrimonio exinde prohibendi, qui temporaria duntaxat impotentia laborant, prout habet communis sententia. Ea tamen, quæ ab immatura ætate venit, a legibus pro impedimento dirimente statuitur; forte ex eo, quod in talibus facultas coeundi non tantum impedita, sed penitus hucusque deesse videatur: de iis autem facultatibus, quæ non dantur, jus reale, & sic neque contractus ad jus reale spectans potest intelligi.

§. 983.

Supereft ut modo hujus impedimenti *effectus* §. 979, ex statuta ibidem regula inferamus. Talis jam effectus alius est ex ea impotentia, quæ jam ante matrimonium cognita est; vi cujus consequitur *VIto.* quod matrimonium tali impedimento, etiam dubie tantum, existente non possit

CON-

contrahi, ne alias Sacramentum periculo exponatur. Sed si cognitio impotentiae primum obtineatur post matrimonium forte jam contractum; habetur *VII^{tima}* consecutio, vi cuius tale matrimonium est nullum c. 2. *de frigid.* Et tales, siquidem periculum incontinentiae absit *, tanquam frater & soror cohabitare *possunt*, c. 5. *de frigid.* & conjux, qui impedimenti conficius matrimonium contraxit, etiam debet. *C. 4. de frigid.* **

* Cave tamen Sacerdos, ne periculum incontinentiae, praeterquam in casu penè extraordinario, abesse putes. Certe subsidiis plane singularibus horum castitas muniri opus habet, praecipue si ab aliquo tempore mutuo jam assueverint.

** Atque haec obtinent, si contracto jam matrimonio certa impotentia prodatur. Sed quid si merum dubium emergat? Scilicet ex c. 5, & 7. *de frigid.* datur triennium ad experiendum; & tentandum. Quia tamen hic jus naturae occupat totum, & actus impotentium sunt contra castitatem in proprio sensu acceptam §. 542, & seq. dubitare licebit, an haec juris canonici dispositio aliud, praeter *praesumptionem*, quam vocamus, quaeque in casu mortae controversiae pro foro externo sequenda est, contineat. In ipso usu forte securius regulae a §. 77, & seq. statutae adhibebuntur. Scilicet exorto dubio si deinceps matrimonio uti velit, vel est probabilius impotentiam adesse? & mox debet abstinere; alias enim probabilius contra naturam peccaturum se praevideret:

ret : vel est minus probabile ? & etiam ultra triennium poterit pergere : vel denique intet utramque partem medius hæret ? & rursus debet abstinere, eoquod in dubio pars negans justior est §. 84.

Equidem *reliquis paribus* cujuslibet natura integra nata esse censetur : contra vero diuturnus, semperque frustratus usus pro impotentia prævalens tandem argumentum esse debet. Id tamen *reliquis paribus* : nam etiam ab initio probabiliora, licet non omnino certa indicia pro impedimento, vel contra illud etiam post triennium extare possunt : e. g. mutato situ, ope medicinæ, natura seipsum corrigente &c.

§. 984.

Pro impotentia matrimonium *consequente* §. 982 ex eadem definitione §. 979, *VIII^{um}* corrolarium deducitur : tale matrimonium validum & efficax persistere *, a coitu tamen, utpote qui in peccatum contra naturam necessario degeneraret; non tamen *necessario* a tactibus, & aliis imperfectis actibus abstinendum esse, & ita quidem communissima sententia habet. Volunt insuper conjugem impotentem obligatum esse, ad se aptum reddendum, idque per auxilia etiam valde molesta, non tamen periculum mortis, aut gravis infirmitatis inferentia; ac denique ab alio invito neutram partem posse discedere. Quæ omnia ex diversis capitul. *titul. de frigid.*

Part III. Th. Mor.

K

EX

ex ratione naturali, atque ex consensu DD. habentur.

- Liceat vero etiam hic fat temerariam dubitationem injicere. *Matrimonium est Sacramentum &c. quo jus in corpora ad actus generationi aptos &c. traditur.* §. 954. Et sic status matrimonii est jus reale ad exigendos tales actus, in corpore conjugis constitutum §. 933. Jam superveniente impotentia non potest dari actus, & sic neque jus ad tales actus, utpote impossibiles. Neque status matrimonii potest intelligi sub jure exercendi actus *imperfectos*: nam isti tanquam accessorium primum ad principalem conceduntur, aut certe si hoc non placeat, matrimonium inter impotentes in ordine ad actus imperfectos non potest contrahi, & primitus constitui; ergo neque ad hos solos perdurare. Denique actus imperfectus in impotente nonne videtur esse initium actus contra naturam? Verum ejusmodi conjecturæ nos parum juvabunt; & alii has rationes facile dissolvent.

§. 985.

Impedimenta hucusque recensita descendunt ex jure naturæ, & proin *necessario*: alia vero ex *arbitrario* oriuntur §. 977. Verum hoc jus arbitrarium vel est *divinum*, vel *humanum*. Jus *divinum* non nisi unicum impedimentum dirimens induxit; estque illud impedimentum **LIGAMINIS**, **VI** cuius nemo potest contrahere cum secundo, quamdiu matrimonium cum primo perstat, neque

neque potest quisquam duas simul habere conjuges. Idque habetur ex lege DEI in Paradiso lata, omnibusque ex ADAMO descendentibus imposita: *Vide, quæ a §. 367 & deinceps dicuntur.* *

- * Ad quod leges canonicæ insuper constituunt, aut potius declarant, quod ad secundas nuptias requiratur de morte prioris conjugis certa nōtia c. 2. de *secund. nupt.* unde non sufficit testis unicus, nisi is speciali auctoritate, aut aliis probabilibus indiciis adjunctus sit; multo minus creditur soli mulieri etſi de morte prioris conjugis juranti; neque sola viri absentia, etſi longa admodum, pro pleno argumento admittitur.

Quod si matrimonium fuerit constitutum vivo adhuc priore conjugē, proles tamen ex tali matrimonio nata habebitur pro legitima, si modo alteruter conjugum bona fide, & erroris inscius tale matrimonium contraxerit, etſi pars altera ad priorem conjugem exinde redire teneatur. C. 2. *qui fil. sint legit.*

C A P U T VII.

De Impedimentis jure humano Matrimonium dirimentibus, & quidem de iis, quorum titulus proxime ad Matrimonium pertinet.

§. 986. Inter impedimenta juris humani se offerunt ea, quæ ad favorem matrimonii constituta sunt proxime. Et quidem pro ejus libertate faciunt impedimentum metus,

§. 987. Et raptus. Pro matrimonii securitate militat

K 2

§. 988.

- §. 988. In primis impedimentum *criminis*; quod
 §. 989. vel *machinatione in mortem* prioris conjugis *sola*,
 §. 990. vel *cum adulterio* conjuncta; vel denique
 §. 991. *Adulterio*, & *promissione matrimonii* contrahitur.
 §. 992. Pro matrimonii securitate institutum est impedimen-
 tum, quod *clandestinitatem* vocamus.
 §. 993. Unde præter duos testes *proprius contrahentium*
Parochus, debet matrimonio assistere. Idque
 §. 994. In omnibus locis, in quibus CONCIL. TRIDENT.
promulgatum fuit: & aliquando etiam in iis, in qui-
 bus nunquam fuit promulgatum.

§. 986.

Arbitraria impedimenta pleraque ad vo-
 luntatem legislatoris *humani* originem
 suam referunt §. 985. Atque titulus ista
 impedimenta statuendi vel *proxime* spectat
ad matrimonium, vel *extra illud ex alieno*
 quodam *officio* petitur. Prioris generis
 impedimenta vel pertinent ad matrimonii
contrahendi libertatem, vel ad *contracti*
securitatem. Pro obtinenda plena matri-
 moniorum *libertate* bina *metus* scilicet, &
raptus impedimenta prodita sunt. Impe-
 dimentum METUS inducitur, si quis invitus
 gravis *, & inique inferendi mali ** metu
 ad consensum *** in matrimonium præstan-
 dum adigitur. ****

* Neque enim metus levis mali sufficit c. 15. de
Sponsal.

** Metu etsi gravi, si is *justus* sit, non impedi-
 tur matrimonium. C. 2. de *adult.* Et c. 10. de
Sponsal.

*** Si enim consensus non sequatur, etsi vi illata manum protendere quis cogatur, aut sicte tantum annuat, matrimonium jure naturæ §. 985 est nullum.

**** Ita ut vi *metus* sequatur consensus: nam si aliunde inter partes conveniat, aut si a metu recedatur, e. g. si in opus matrimonii, aut aliam simplicem cohabitationem sponte consentiat; talis metus non officit matrimonio. *Vid. c. 21, & 26. de Sponsal.*

De eo autem disceptant: an metus *directe* ad matrimonium, seu ad illud extorquendum debeat esse incussus, vel an ad incurrendum impedimentum sufficiat metus *indirectus*, seu in alium finem tendens. Exemplum hujus est sequens: Potens quidam mulieris facultatibus inhians, eidem iniquam simul & gravem movet litem. Hæc ut a molestia & periculo se liberaret, eidem matrimonium offert, quem tamen alias nunquam in sponsum legere voluisset. Verior jam sententia est, hic non latere impedimentum metus, si alter non matrimonii, sed solius lucri causa eam litem intentet: eoquod metus non ad matrimonium obtinendum fuerit incussus; & impedimenta tanquam odiosa aliunde restringi oporteat.

§. 987.

Alterum impedimentum pro *libertate* matrimonii comparatum, est impedimentum RAPTUS a CONCIL. TRIDENT. *Sess. XXIV. c. VI.* introductum. Ad quod tria requiruntur, quorum *primum* est, ut mulier invita abducatur, & in alium locum

rapiatur*. *Secundum*, ut id matrimonii; & non tantum libidinis explendæ causa fiat. *Tertium* ut vis ipsi mulieri renuenti, & non solis parentibus aut tutoribus, aliisve inferatur **. Quæ omnia ex mox laudata CONCILII constitutione eruuntur.

* Etsi in eo loco libere in matrimonium consentiat: si enim in ipso contractu invita maneret, hoc impedimentum non novum, sed idem cum impedimento metus foret. Quare non sufficit spontaneus mulieris consensus, sed ea prius debet ad locum tutum, omnique vi vacuum restitui; & tunc hoc impedimentum seipso cessat.

** Si enim vis custodibus inferatur, mulier vero sua voluntate discedere appetat; tunc fuga, non raptus intelligitur.

Quod si mulier virum fors rapiat, hoc impedimentum inde existere, verior habet sententia contra aliam minus probatam: quia in jure sub masculino etiam fœmina solet intelligi; nisi specialis ratio aliud petat.

§. 988.

Impedimentorum pro bono matrimonii lege humana constitutorum classem *alteram* faciunt ea duo, quæ pro *securitate* matrimonii pugnant §. 986, quorum *prius* pro securitate *conjugum*, scilicet impedimentum **CRIMINIS**; *alterum* vero pro securitate ipsius *conjugii*, nempe impedi-

men-

mentum *clandestinitatis*, prout vocant, inductum est. Scilicet ne conjux in mortem conjugis machinetur, aut eandem a vidē desiderando captet; neve novis nuptiis inhians, aut certe a priore matrimonio liberari desiderans, illud rite aliquando contractum fuisse, perfide neget: ideo impedimentum criminis statutum, & præsencia Parochi & testium ad legitimum matrimonium a TRIDENT. CONCIL. requiritur.

§. 989.

Jam *crimen* inducens impedimentum istud est vel *machinatio in mortem* prioris conjugis; vel *adulterium cum promissione matrimonii* futuri. Machinatio vero sufficit aliquando *sola*; alia vero vice requiritur, ut eidem *adulterium* societur. Ut machinatio *sola* sufficiat, ex parte machinantium necessaria est *mutua*, eaque vel physica, vel moralis opera, e. g. jubendo, alios substituendo &c. *c. 1. de convers. infidelium*: ex parte vero innocentis conjugis, ut scilicet mors ejusdem ex tali machinatione reipsa sequatur*, prout communis opinio obtinet ex *c. 4. de Cleric. non resident.*

* Unde hoc impedimentum abesse putant, si ex incuria Medicorum mors subsequuta sit. Quod ego quidem concedendum puto pro eo casu,

quo imperitus Medicus causa mortis *positiva*, quam vocamus, id est, efficiens mortem extitit, quæ alias, & sine Medico eventura non fuisset: non item si Medicus sua inscitia *negative* se habuit, id est, ægrum non sat scite tractando, etsi ope majoris artis æger servari potuisset. Aliud enim est, operam Medici minus efficacem; & aliud eandem *positive* noxiam fuisse. Alias hoc impedimentum ne tunc quidem contraheretur, quando vel nullus, vel non optimus Medicus haberi potuit: nam etiam hic ex defectu Medici infirmus obiit.

§. 990.

Ut vero machinatio non sufficiat, sed præter machinationem etiam *adulterium* in præsentī causa requiratur, ex parte *machinationis* necessarius est conatus occidendi non mutuus cum morte subsecuta, & simul intentio matrimonii contrahendi. *C. 6. de eo, qui duxit*: ex parte vero *adulterii*, ut illud perfectum, & non tantum inchoatum sit, prout colligi videtur ex *c. ultim. de sponsal. & regul. jur. 15. in 6.* Et licet, quod dictum est, requiratur intentio, non tamen necessaria est promissio futuri matrimonii. *C. 3. de eo, qui duxit.*

§. 991.

Quia vero *adulterium* aliquando absque machinatione in mortem, sed acceden-

dente *promissione matrimonii* futuri §. 989 idem impedimentum inducit, etiam ad hoc aliqua requiruntur circa *adulterium*; & alia circa *promissionem*. *Adulterium* debet esse perfectum non tantum *naturaliter* per veram corporum commixtionem; sed etiam *moraliter*, scilicet ut alter noverit, sociam criminis hujus matrimonio, etsi rato tantum, ligatam esse. C. 1, & 2. de eo, qui duxit. *Promissio* vero debet esse acceptata, non tamen necessario mutua. Id enim innuere videtur c. 6. de eo, qui duxit. *

* Id de hoc impedimento in controversia versatur, an criminis quidem sui bene gnari, & imminentis exinde impedimenti inscii, illo nihilominus involvantur? & quidem sententia affirmans pluribus hucusque, & gravioribus probata fuit.

§. 992.

In *securitatem ipsius conjugii* legitime contracti §. 988, inventa est necessitas adhibendi presentiam Parochi, & duorum testium ad hunc scilicet contractum, utpote qui sine his nullam vim habere iussus est a CONCIL. TRIDENT. *Seff. XXIV. C. I.* Vocant vero hoc impedimenti genus, **CLANDESTINITATEM**. Adhibito autem solemniter a deo testimonio nullus sane initum a se matrimonium negare poterit. In hoc jam negotio & ipsa *solemnitas* ad id introducta,

ducta, & casus, in quibus ea requiritur, notare necesse est. Solemnitas autem in eo est, quod *Parochus* proprius, cum *duobus testibus* * præsentem esse debeant. **

* Testes utique rationis capaces, quicumque deum seu viri, seu fæminæ; clerici, aut laici &c.

** Debent vero *simul* præsentem esse, & simul *advertere*, quid rei agatur: alias enim ferendo testimonio inepti forent.

§. 993.

Parochus autem *proprius* * quantum ad matrimonium, Baptismum, Eucharistiam, Pœnitentiam, & Extremam Unctionem est ille, in cujus Parochia quis domicilium, vel quasi domicilium habet **, sive dein Parochus ille jus parochiæ *reapse* obtineat; sive *per errorem communem* pro tali habeatur. TRIDENT. *Sess. XXIV. C. I. & l. 3. ff. de offic. Prætor.*

* Sufficit autem, si sit Parochus *alterutrius* sponsorum: item Sacerdos quicumque, qui aut ab Episcopo, vel Parocho matrimonio assistendi licentiam obtinuerit. TRIDENTIN. *Sess. mox laudat.*

** *Domicilium* quis habere censetur in eo loco, in quo habitare jam cæpit, & quantum ex moderna animi dispositione perpetuo habitare cogitat: contra vero *quasi domicilium* ibi cuique constituitur, ubi modo habitat, & per majorem

jorem anni partem habitare intendit. Vagi autem nullibi domicilium, & sic ubique Parochiam habent. Horum tamen matrimonio non facile debet Parochus assistere, sed rem plerumque ad Episcopum deferre: nisi certus sit, nullum latere impedimentum. Quod non raro contingit in honestissimis Sponsis, qui matrimonio jungendi, & in alio loco deinceps habitare volentes, in itinere vagi sunt, & sic a quovis Parocho conjungi possunt. Hi enim prius domicilium relinquentes novum nondum attigerunt, & sic absque domicilio existentes reapse in conditione vagorum sunt.

§. 994.

Casus vero, & circumstantiæ, in quibus hæc solemnitates requiruntur §. 992 vel sunt *ordinariæ*, vel *extraordinariæ*. *Ordinariæ* sunt, si in aliquo loco CONCIL. TRIDENT. sit promulgatum *, prout abunde colligitur ex ejusdem CONCIL. *Sess. & cap. jam aliquoties citat.* Per eventum *extraordinarium* requiritur præsentia Parochi, si in aliquo loco CONCILII hoc equidem promulgatum nunquam fuerit, sponsi tamen studiose, & Parochi declinandi causa eo se contulerint, ita ut ibidem ne quidem *quasi domicilium* constituere cogitent. *Ita, habet declarat. S^ce Congregat. ab URBANO VIII. an. 1627 confirmata. ***

* Excipitur casus, si in loco promulgati CONCILII plerumque, & per longius tempus Parochus

rochus vel non existat, vel absque periculo haberi non possit. Pro qua sententia genuinæ declarationes, & gravis ratio pugnat: nam leges irritantes, quales sunt omnes de impedimenti dirimentibus constitutæ, juxta veriorem sententiam nulli, etsi gravi necessitati *privatæ* cedunt; cedunt vero necessitati publicæ, ac communi, qualis utique est, si matrimonio carere tota communitas deberet.

- Ex hac declaratione plerumque inferunt, omnem, qui declinandæ legis causa territorio egreditur, vinculum legis secum ferre: præcipue cum in fraudem legis id faciat, quæ fraus ex dispositione juris nemini suffragatur. Verum dubito, an ex hac declaratione pro aliis legibus, & extra matrimonium, legitima consecutio habeatur: nam talia matrimonia non ex titulo fraudis, sed ex eo sunt nulla, quod talis ad breve tempus discedens ex jure suæ Parochiæ non emancipetur, eoquod non nisi quasi domicilio parochiani alicubi efficiamur; quod quantum ad alias leges non obtinet, utpote quæ quemlibet stringunt, & dimittunt, si vel unica hora in territorio legis præsens, vel absens existat.

Quod autem eadem declaratio jure Parochiæ, & non titulo fraudis contrahendo matrimonio ineptos reddat ejusmodi sponfos, videtur ex eo patere, quod eadem semper declaratio talia matrimonia legitima esse decernat, si in loco non promulgati Concilii domicilium fixerint, etsi animo absque Parocho contrahendi id factum fuerit. Ergo *sola* mutatio territorii vim legis declinandi causa non continet fraudem, alias translato etiam domicilio fraus foret facta.

CA-

CAPUT VIII.

De reliquis Impedimentis dirimentibus.

- §. 995. Inter impedimenta religionis causa constituta, est impedimentum voti, ordinis, & cognationis spiritualis, quæ
- §. 996. Non nisi a certis Personis,
- §. 997. Et sub definitis conditionibus contrahitur.
- §. 998. Ad religionem quoque spectat disparitas cultus.
- §. 999. Pro naturali pietate pugnat impedimentum consanguinitatis, & affinitatis. Et quidem ad noscendam consanguinitatem,
- §. 1000. Ejus linea,
- §. 1001. Gradus,
- §. 1002. Et effectus describuntur. Ad naturalis consanguinitatis imitationem
- §. 1003. Cognatio quædam legalis inventa est.
- §. 1004. Sed etiam ex conjunctione corporum, seu affinitate, imo etiam
- §. 1005. Ex sola connexionione animorum, seu publica honestate aliqua impedimenta inducuntur. Quæ honestas vel ex matrimonio rato,
- §. 1006. Vel ex solis sponsalibus de futuro oritur.

§. 995.

Alia impedimenta legitimum sui titulum non proxime ex matrimonio, sed *extra illud ex alieno* quodam officio petunt

§. 986. Qualia fere *religio*, & naturalis *pietas proprio sanguini debita*, esse videntur. Ad *religionem* spectant impedimentum VOTI, & ab eo parum diversum illud impedimentum ORDINIS; SPIRITUALIS COGNATIO; & maxime DISPAR RELIGIO.

LIGIONIS CULTUS. VOTUM SOLEMNE
 castitatis in religioso ordine ab Ecclesia approbato legitime emissum, matrimonium deinceps contrahendum facit nullum *c. 1. de vot. in 6.* Prout etiam illud, quod quis in S. Subdiaconatus Ordine concipere censeatur. **TRIDENT. Sess. XXIV. Can. IX.**

§. 996.

C*ognatio spiritualis est impedimentum dirimens Matrimonium ex collatione, & susceptione Baptismi, & Confirmationis jure ecclesiastico constitutum. Vid. §§. 598, 599, 621. Circa quod notandæ Personæ, quæ hoc impedimento, & conditiones, quæ requiruntur, ut teneantur. Quantum ad personas CONCIL. TRIDENT. Sess. XXIV. Can. II. statuit, ut unus tantum sive vir, sive mulier . . . vel ad summum unus, & una baptizatum de baptismo suscipiat, inter quos ac baptizatum ipsum, & illius patrem, & matrem; nec non inter baptizantem, & baptizatum, baptizatique patrem, & matrem TANTUM spiritualis cognatio contrahatur. . . Ea quoque cognatio, quæ ex Confirmatione contrahitur, confirmantem, & confirmatum, illiusque patrem & matrem, ac tenentem non egrediatur.*

§. 997.

§. 997.

Conditiones desuper requisitæ ex parte *parentum* sunt, ut ab iis talis *pater* designetur; ex parte vero *patrino- rum*; ut baptizatum, vel confirmatum teneant, vel ex baptismo suscipiant, idque animo *patrum* agendi: atque ut ipsimet baptizati, & quantum ad confirmationem jam confirmati prævie existant. *Vid. tot. titul. de cognat. spiritual. & c. 102. dist. 4. de consecrat.*

§. 998.

Religionis causa irrita quoque sunt matrimonia hominis baptizati cum non baptizato §. 995. Quod impedimentum vocant **DISPARITATEM CULTUS**. Unde christiani non possunt conjungi cum gentilibus, Mahometanis, & Judæis*. Quod quidem impedimentum nullo canone nixum ex traditione, vel quod verius est, ex usu ac consuetudine ortum ducit. Illi enim canones, qui talia matrimonia improbant, eadem prohibent duntaxat, & non irritant.

- * Sed quid de Matrimoniis Catholicorum cum hæreticis? Talia imprimis graviter prohibentur jure naturæ ob periculum perversionis, quæ vel proli, vel ipsi conjugii catholico possit imminere: ejusmodi matrimonia prohibentur etiam

etiam jure ecclesiastico *c. 14. de hæret. in 6.* efficacia tamen sunt, decret. URBAN. VIII. *de anno 1630.* In iis tamen locis, in quibus catholici cum hæreticis pacifice versantur, talia matrimonia vi consuetudinis probari asserunt graves D. D. & consentio, si rationes ex jure naturali mox allatæ cessent. - *Pacta* vero de prole aliqua in hæresi educanda possunt habere duplicem sensum; ex quibus prior est, si conjux Catholicus promittat, se *curatorum*, sua opera adjuturum, ut hæresi ea proles imbuatur: & hoc pactum est impium prorsus, & in nullo unquam casu honestum. *Alter* sensus id habet, quod conjux orthodoxæ fidei velit *permittere*, ut proles aliqua in errore educetur: & tale pactum justum faciunt eæ demum rationes, quæ pietatem proli, & quidem in causa spiritali debitam superant: qualem ego quidem aliam nullam intelligo, nisi solam *publicam* utilitatem; & hanc forte non nisi tunc, cum publica hæc utilitas commoda sacra concernit. Et hæc quidem obtinent, si talia pacta simpliciter, & extra consensum matrimonii fiant. Ast - - quid denique si impium tale pactum in conditionem matrimonii adducatur, e. g. *contraho tecum, si promittas, quod velis permittere, ut masculi partibus non catholicis accedant?* Respondeo: tale matrimonium jure naturæ fore nullum. Si enim huic obligationi pars non catholica consensum vere alligavit, hæc conditio a conjuge catholico non fuit impleta, utpote quæ ad impium se obligare non potuit, sicque consensus ex parte Sponsi hæretici est nullus. Et si vero in foro exteriori hæc conditio, utpote turpis pro non adjecta habeatur, *s. ult. de condition. vid. §. 961:* in foro tamen animæ, prout loquimur, vim omnino obtinet. Licet enim

enim

enim conjux hæreticus *per c. ult. de condition.* teneretur ab hac conditione recedere, si ipse tamen nolit recedere, Ecclesia defectum consensus non potest supplere: cum consensus verus, & proprius ipsorum contrahentium ad constituendum matrimonium de jure naturæ requiratur. - - Iis tamen nolim adstipulari, qui conditionem de prole in hæresi educanda non tantum turpem, sed contra bonum prolis pugnantem in eo sensu habent, ut *vi c. ultim. de condition.* etiam pro foro externo pro adjecta haberi debeat: illud enim capitul. loquitur de bono prolis naturali, prout verba capituli innuunt, & communis opinio habet. Vid. §. 961.

§. 999.

Impedimenta ad *pietatem naturalem* pertinentia §. 995 sunt *cognatio*, & *affinitas*; quarum utraque est duplex. Et quidem cognatio una est *naturalis*, quæ ob communem sanguinem **CONSANGUINITAS** vocari solet; altera vero *legalis*, id est, ad imitationem prioris a legibus inventa. - - De cognatione naturali duo sunt docenda, scilicet ejus *natura*, & ejusdem *effectus*. Natura cognationis in eo est, quod una persona per naturalem generationem descendat ab altera, vel quod duæ ab eadem quadam tertia ortum trahant: ut adeo una ab altera, vel utraque ab aliquo sibi communi parente sanguinem hauserit. Ad hujus cognationis naturam pe-

Pars III. Th. Mor. **L** nitius

nitius intelligendam notari debet *linea*, & *gradus* cognationis.

§. 1000.

Porro *linea* est vel *recta*; si scilicet una persona ab altera fuit genita: altera *obliqua*, si duæ ab aliqua communi tertia descendant, *per jura vulgaria*. Sic inter Patrem & Filium datur consanguinitas lineæ rectæ, eoquod filius a Patre sit generatus: inter duos vero fratres datur cognatio lineæ obliquæ, cum uterque ex eodem parente sit natus.

§. 1001.

Gradus, seu distantia cognationum facili regula computari indigent. Quæ quidem alia est pro linea *recta*, in qua inter eos homines, de quorum cognatione quæritur, unus ab altero tot gradibus distat, quot inter unum, & alterum generationes contigerunt *. *Concord. in hoc utrumque jus*. Alia vero regula pro linea obliqua servit, quæ tamen diversa est in jure *sacro* ab ea, quam jus *romanum* adhibet. Computatio itaque canonica est sequens: duo homines, de quorum cognatione dubitatur, in linea obliqua eo gradu conjuncti sunt, quot generationes a com-
muni

muni illorum parente ad alterutrum, vel si ab eodem non æque distent, quot generationes a communi hoc stipite suo ad remotiorem sunt factæ **. *Per jur. not.* In computatione civili seu juris Romani tot dantur gradus obliqui, quot generationes a communi stipite ad utramque personam contigerunt, quarum scilicet cognatio in controversia est.

- * Sic Avus a Nepote duobus, Pater vero a filio distat gradu unico: quia scilicet ab Avo ad Patrem una, & ab hoc ad Avi Nepotem altera, & sic duæ generationes; a Patre tamen ad filium generatio non nisi unica est facta.
- ** Sit e. g. *Caja Sempronii* ex sorore neptis, seu sororis Filia. Jam quærat *imo*, an in linea recta cognati sint: respondetur, quod non; nam nec *Caja* ex *Sempronio*, nec iste ex *Caja* est natus. Quærat *2do*, an saltem in linea obliqua sint cognati: & respondetur, quod sint cognati; nam habent communem aliquem parentem, cum Pater *Sempronii*, & avus *Cajæ* sit idem homo e. g. *Titius*. At quæ est *3tia* quæstio, in quoto igitur gradu sunt conjuncti? cum a *Titio* tanquam communi stipite *Caja* longius quam *Sempronius* distet, ad eam debent generationes numerari: itaque a *Titio* ad matrem *Cajæ*, seu sororem *Sempronii* una, & ab hac *Sempronii* sorore ad *Cajam* altera generatio est facta; unde *Sempronius* in computatione canonica in secundo gradu cum *Caja* cognatus est. Et hæc computandi ratio brevissima, & præ omnibus illis arboribus consanguinitatis expedita, & ab omni exceptione immunis est.

§. 1002.

Explicata cognationis *natura*, de eisdem quantum ad præsens negotium, *effectibus* agendum est §. 999. Et quidem in linea *recta* cognatio in infinitum, quod ajunt, matrimonia dirimit; ita ut supremus quidam abavus infimam suam abneptem, si vita tamdiu duraret, ducere non posset *. In linea tamen *obliqua* hoc impedimentum quartum gradum jam non amplius excedit. *C. 8. de consanguinit. ***

* Idque etiam jure naturæ, equidem quantum ex hoc capite non satis claro. Solam reverentiam, & pudorem pro titulo hujus officii nolim facile statuere. Matrimonium enim reverentiæ non videtur esse adversum: pudor autem rationalis (sensibilis enim non potest esse causa officii moralis) vix potest intelligi, si matrimonium aliunde sit justum. Unde alium legitimi pudoris, & horroris hujus titulum latere arbitror. Certe natura, nescio, ex quam sensu intimo tale matrimonium abhorret: idque forte ex eo (si tamen leves conjecturas adscribere licet) quod conjux uterque quantum ad negotium carnis in jure conjugis sui existat. Jam filii, & quicumque nepotes quantum ad carnem & sanguinem quædam progenitorum suorum pars, & sic in eorum jure naturali sunt: unde vix intelligitur, qua ratione quis alterum in eo ipso negotio sibi subditum habere queat, in quo eidem subjectus, planeque obnoxius est.

** Nullum tamen hic vinculum legis naturalis datur; & matrimonia fratrum & sororum non neces-

necessario mala sunt: si tamen in hoc capite recte sapio.

§. 1003.

Ad imitationem generationis naturalis, *civilem* aliquam, & quantum ad effectus juris priori fere æqualem leges invenerunt, ut qui ex natura liberos non haberent, *adoptione*, & auctoritate legum acciperent quosdam, qui liberorum loco penitus in eorum potestate existerent, unde ortum est impedimentum **COGNATIONIS LEGALIS**; quod est conjunctio personarum ex eo ortum, quod unus ab altero in filium per legem adoptetur, qui natura ejusdem filius minime est. Quia tamen nostræ ætatis adoptiones rarissimæ sunt, brevissime noto ex adoptione triplicem conjunctionem, & inde triplex impedimentum oriri. Datur scilicet *1^{mo} paternitas* inter adoptantem scilicet ex una parte, & adoptatum, ejusque liberōs ex adversa parte *c. 1. caus. 30. q. 3.* *2^{do} Confraternitas* scilicet inter proles legitimas adoptantis, & inter adoptatum. *C. 6. caus. 30. q. 3.* Et *3^{tio} demum affinitas* inter adoptatum, & uxorem adoptantis; atque rursus inter adoptantem, & uxorem adoptati. *L. 14. ff. de ritu nupt.*

§. 1004.

A iterum impedimentum naturali pietati subordinatum est **AFFINITAS** §. 999, quæ rursus equidem naturalis, & ex quadam unitate carnis orta est; ita tamen, ut aliam scilicet affinitatem animorum, & quam *publicam honestatem* vocamus, leges præeunte natura invenerint. *Prior* itaque & proprii nominis *affinitas* tunc habetur, quando vir cum fœmina perfectum coitum exercet, ita ut semen viri in loco a natura ad conceptionem ordinato effundatur: alias enim perfectus coitus non intelligitur. Et quia ex phrasi etiam sacris **Literis** usitata *Genes. II. XXIV.* hac ratione vir & mulier una caro efficiuntur; id consequitur, ut cognati mulieris viro*, & hujus consanguinei mulieri in eo gradu fiant affines, quo gradu mulieri, aut viro sunt cognati §. 1001**. Et hæc affinitas, si ex coitu *legitimo* inducta sit, usque ad *quartum* gradum matrimonium dirimit, *C. 8. de consang.* Si vero extra matrimonium ex actu illegitimo extiterit, non nisi ad gradum *secundum* extenditur, **TRIDENT, Sess. XXIV, C. IV.**

* Ita tamen, ut consanguinei mulieris soli Viro, non item consanguineis viri, affines evadant; atque idem de cognatis viri, qui soli mulieri, non idem ejusdem cognatis affinitate junguntur,

** E. g.,

• E. g. si *Caja* sit filia *Mæviæ*, & *Seja* soror ejusdem, huic erit utraque in primo gradu consanguinea; & hinc *Titio Mæviæ* marito in primo gradu affinis: *Publico* vero *Titii* Germano fratri nullo prorsus affinitatis vinculo conjuncta erit. Ex quo etiam illud apparet, affinitatis æque, ac consanguinitatis aliam lineam rectam, aliam vero *obliquam* esse. Sic in præsentī exemplo *Caja* affinitate lineæ rectæ, *Seja* vero non nisi ex affinitate lineæ obliquæ *Titio* conjunctæ sunt, eoquod ejus uxori prior, id est *Caja* in recta, altera vero scilicet soror, *Mæviæ* tantum in obliqua linea consanguineæ sint §. 1000.

§. 1005.

Verum non tantum ex conjunctione *corporum* per concubitum, sed etiam ex copula *animorum* per sponsalia, & per matrimonium ratum quædam mentium unitas, & moralis affinitas, quamque publicam honestatem appellamus, auctoritate legum tum canonicarum, quam civilium introducta est. Hæc itaque PUBLICA HONESTAS est impedimentum jure ecclesiastico institutum, quæ nequit aliquis matrimonium contrahere cum omni ea muliere, cujus (in certo gradu) consanguineæ sponsalibus, vel matrimonio rato conjunctus erat. Et quia hæc conjunctio a jure quidem Romano primo constituta, non tamen adeo gravi titulo niti videtur, hujus impedimenti latitudo a CONCIL. TRIDENT.

L 4

jure

jure merito restricta fuit. Oritur autem vel ex *matrimonio rato*, vel ex *sponsalibus*. Illud ex matrimonio rato ortum considerari meretur quantum ad *limites* suos, & secundum *conditiones*, ex quibus oritur. Quantum ad limites comprehendit quartum consanguinitatis gradum * *C. 8. de sponsal. & c. 11, 12, 14, 15. caus. 27. q. 2.* Requisitæ ad hoc impedimentum ex matrimonio rato incurrendum conditiones præter solum consensum aliæ non sunt. Neque obest, si ex quacunque alia ratione matrimonium fuerit nullum, dummodo consensus nullo vitio laboret. *Decret. S. PII Vti de an. 1568, quod incipit ad Romanum.*

* Sic uxoris suæ etiam in quarto gradu consanguineam non potest quis ducere, etsi uxor illa matrimonio nondum consummato obierit.

§. 1006.

Sed etiam circa publicam honestatem ex *sponsalibus de futuro* ortam juvat notare ejus *latitudinem*; & sic non egreditur primum gradum: & insuper *conditiones*, & *circumstantias*, in quibus contrahitur; & sic requiruntur sponsalia ex omni parte valida; nam etsi non ex consensu, sed ex alia ratione deficient, nullum

lum ex iis impedimentum nascetur *. TRI-
DENT. *Sess. XXIV. C. III.*

- * Duo tamen capita hic addenda sunt. Scilicet hoc impedimentum non cessare, etsi sponsalia mutuo consensu, aut quacunq; ratione dissoluta fuerint. *C. 14. caus. 27. q. 2, & c. 8. de Sponsal.* Alterum est, quod nedum sponsalia, sed ne quidem matrimonium ratum retro operentur; id est, sponsalia secunda aut etiam matrimonium ratum non inducunt impedimentum publicæ honestatis contra sponsalia, quæ quis antea cum sorore illius contraxerat, quam quis prius sibi jam desponsaverat. *Quare qui sponsalia - - cum aliqua muliere contraxit, & postmodum cum secunda prioris consanguinea idem fecit, ex priorum sponsaliorum vigore - - ad matrimonium contrahendum cum prima remanet obligatus c. 1. de Sponsal. in 6.*

C A P U T IX.

De ea ratione, qua recensita hucusque impedimenta per legitimam potestatem tolluntur.

- §. 1007. Jam de horum impedimentorum dispensatione agendum; qualem contra jus naturæ, & DEI nemo, contra leges tamen humanas
- §; 1008. Pontifex, & non nunquam Episcopi,
- §. 1009. & in aliquo casu etiam amplissime tribuunt: idque matrimonio vel jam contracto,
- §. 1010. Vel primum contrahendo. Ad impetrandum tamen relaxationis hujus beneficium
- §. 1011. Formulæ, & usus curiarum probe observandus.
- §. 1012. Verum præ impetrationis negotio, difficilior non raro est ejus executio.

- §. 1013. Et quidem ad instaurandum matrimonium pars ignorans prævie, & plerumque debet doceri, matrimonium hucusque nullum fuisse.
- §. 1014. Ad impetrandum vero recentem consensum *prima*,
- §. 1015. Et mox *altera* via refertur;
- §. 1016. *Parum* tamen probatur.
- §. 1017. Ex mea opinione, si pars ignorans ad reparandum matrimonium non sit obligata; tunc in consensum eandem non licet inducere;
- §. 1018. Quod si vere *omnibus* bene *pensatis* ad id esset adstricta; tunc arte aliqua, & ignorans licet,
- §. 1019. Et quidem per *actum amoris DEI* ad consensum sufficientem induci poterit.

§. 1007.

Postquam de impedimentis matrimonium dirimentibus, quantum satis est, tractavi: de eorundem relaxatione, seu DISPENSATIONE modo agendum est §. 977. In hac vero rursus duo se offerunt, scilicet ipsa *dispensatio*, & *modus* eandem *exequendi*. Et ad dispensationem ipsam legitima *auctoritas* concedentis, & *formula* impetrandi præscripta observanda est. Jam ad tollenda impedimenta juris naturalis, & divini §. 978 & seq. nulla habetur in terris sufficiens potestas: quæ vero jure humano constituta fuerunt, a summo PONTIFICE generatim dissolvi possunt, & plerumque solent; aliqua enim e. g. in linea obliqua cognatio primi gradus non solent ab Ecclesia relaxari.

§. 1008.

§. 1008.

Præter summum Pontificem etiam *Episcopi* aliquando in hæc impedimenta auctoritatem obtinent, non quidem ordinariam, eo quod leges impedimentorum non ab Episcopo, sed à Pontifice, vel tota Ecclesia conditæ, & sic potestatem episcopalem transcendentibus sint. Unde hæc facultas Episcopi vel a *Pontifice*, vel per *consuetudinem* concessa fuit. Et quidem per speciale Pontificis Beneficium variæ facultates Episcopis impertiuntur. Sic quantum ad matrimonium Episcopi Germaniæ plerumque possunt relaxare impedimentum publicæ honestatis ex sponsalibus ortum: 2^{do} cognationem spirituales, præterquam inter levantem, & levatum: 3^{tio} impedimentum criminis, si neuter in mortem prioris conjugis machinatus est: 4^{to} impedimentum consanguinitatis, & affinitatis in tertio, & quarto gradu in pauperibus, in hæreticis conversis etiam secundum gradum eousque tollunt, ut in matrimonio jam contracto deinceps perseverare queant. In quibus casibus etiam proles pro legitimis declarant.

§. 1009.

Verum Episcopis vi consuetudinis * competit *alia* ac longe amplior facultas dispen-

dispensandi omnia ea impedimenta, quæ ipse Pontifex dispensaret, si adiri posset. Idque tam *ante matrimonium*, quam *matrimonio jam contracto*. Atque ut ante matrimonium tam grave vinculum, in quod alias nihil potestatis habet, solvere queant, duos assignant casus: ex quibus frequentior est, si alteruter sponforum cum aliqua persona sponso suo in primo, vel secundo gradu consanguinea perfectum coitum exerceat, & sic affinitatem cum sponso suo contraxit: nuptiæ vero sine famæ, fortunarum, aliõve gravi periculo differri non queant. Alter vero eventus est, si graviter decumbens, & morti proximus ob legitimandam prolem, sedandas inimicitias, aliasve gravissimas rationes mulierem e. g. cognatam sibi ducere teneatur.

* Nolim enim *presumptam* licentiam, aut vim necessitatis huc in subsidium advocare. Jam enim alibi de acerbitate legum irritantium conquestus fui, quod ad nullius molestiæ sensum mitescant; nec superioris consensum existimatum, sed tantum verbis, aut factis expressum admittant. Quare solus usus publicus, ac communis; seu quod idem est, sola consuetudo, tanquam ejusdem cum lege scripta virtutis, hanc facultatem Episcopis tribuisse reor.

§. 1010.

Matrimonio jam contracto, & propter impedimentum irrito, eandem ad san-

nan-

nandum hoc vulnus vim habent Episcopi. Ut vero hac potestate uti queant ex communi sententia requiritur *1^{mo}*, ut impedimentum sit occultum, id est, ut non sit nisi tribus aut quatuor hominibus cognitum: adeo ut si dispensatione executioni mandata fiat publicum, tales conjuges pro foro tantum exteriore alia dispensatione indigeant. *2^{do}*. Ut matrimonium saltem ab alterutro sponso bona fide, & absque scientia impedimenti fuerit contractum. Unde opus est, ut proclamationes, & denuntiationes aut præcesserint, aut saltem ab Episcopo remissæ sint. *3^{tio}*. Ut gravissima ratio celerem opem exigat; puta si alias infamia, scandalum, proximum periculum incontinentiæ timendum foret, si recursus fieret ad Pontificem; vel, quod multi addunt, ad Nuntium, vel Legatum apostolicum: hunc enim, si negotium permittat, ante Episcopum adiri volunt. Et saltem tunc hi recte sentiunt, si ejusmodi Legatus, aut Nuntius a Pontifice concessam facultatem ejusmodi impedimenta relaxandi obtineat.

§. IOII.

Formula, aut ratio impetrandæ dispensationis §. 1007 longam, & qualis in meum modum non cadit, tractationem requi-

requirit: quam tamen alii multi insigni diligentia descriptam exhibent, utique facile, & apud plerosque inveniendam. Ne tamen totum transiliam, pauca, & præcipua capita de hoc negotio delibare velim. Duplex enim tribunal pro foro scilicet exteriore, & interiore tam apud Pontificem, quam apud Episcopum considerandum est. Et Romæ quidem pro solo foro conscientie laborat *S^a Pœnitentiaria*: unde beneficia ab ea impetrata in foro publico nullatenus attenduntur; & ideo ne ex ejusdem literis, quibus aliquod impedimentum relaxandi facultas dabatur, forte argumentum petatur, eæ debent sub pœna excommunicationis lacerari, aut comburi. Ad hanc præterea curiam scribuntur nomina ficta, neque ullæ solvuntur expensæ. Pro foro tamen exteriore erecta stat *dataria*: ad hanc vera nomina petentium, nisi hi sint pauperes, & taxanda desuper pretia transmitti debent. In ipso libello supplicis inprimis nihil *falsi* debet inferi: neque potest reticeri *verum*, quod perscribere stilus curiæ petit, quælia sat multa, atque apud alios videnda sunt.

§. 1012.

Verum dispensationem obtinere non adeo grave est, præcipue si unus, alterve auctor

auctor ista tractans legatur; & quod securius est, vir ejusmodi negotii ex ipso usu gnarus interrogetur: quod quidem ad dispensationes pro foro exteriori impetrandas omnino fieri debet. Ipsa tamen dispensationis *executio*, & magis insuper ipsa matrimonii antea irriti *instauratio* §. 1007, difficilis est admodum, & erroris committendi periculo multum obnoxia. Atque *primum* est, quod in hac causa quæri potest: an Sacerdos in pœnitente suo conjugato vitium matrimonii latere advertens eundem desuper *edocere* teneatur. Verum ista inprimis quæstio nihil speciale habet, sed debet ad eam responderi ex regulis a §. 817 & deinceps traditis. Scilicet si pœnitens nesciat, matrimonium suum esse irritum, & nullum exinde peccatum timeatur, id candide eidem manifestari debet: si vero aut pœnitentis, aut alterius peccatum ex implicato ejusmodi negotio timeatur, tunc provide tacendum erit, saltem si prorsus ignarus, de efficacia sui matrimonii non dubitet, aut interroget.

§. 1013.

S*ecunda* quæstio jam gravior est, an ad matrimonium antea nullum impetrata dispensatione jam recens constituendum pars impedimenti ignara edoceri debeat, suum
hu-

hucusque conjugium debito robore caruisse. Atque *id* plerumque *fieri debere* plerique omnes arbitrantur, eoquod ignorantis, & errantis consensus sit nullus *l. 8, & 9. c. de jur. & fact. ignorant **. Magnum quoque pondus addit usus curiæ Romanæ, quæ literis dispensationis addere solet frequentia: *Muliere (Viro) de nullitate prioris consensus certiorata, sed ita caute, ut latoris delictum nunquam detegatur.*

- * Nisi error, aut ignorantia versetur circa rem in contractum adducta, non obsunt consensui, quantum ex jure naturæ, quod solum hic attendendum §. 962, & 966. Quare ista ratio me non adeo moveret: sed illud difficilius est, quod in tali casu pars ignorans omnino non consentire videatur, etsi matrimonium uti solet. Nam alia voluntas est, qua quis jus constituere vult, alia vero qua eodem uti discernit. Prior illa voluntas, seu decretum in negotio matrimonii venit secundo loco; posterius istud 4^{to} primum loco intelligitur vid. omnino §. 933. Certe si agrum alicujus colas, eoquod errore aliquo persuasus sis, te ad hoc officium teneri; nemo sane inferet: ergo adhibendo hunc cultum alteri voluisti jus asserere, te obligare ad agrum deinceps colendum. Scilicet solutio indebiti non est voluntas constituendi debitum.

§. 1014.

Huic jam succedit *tertia* quæstio, qua nimirum arte alteri impedimentum ita
ex-

exponi queat, ut exin de conjugis sui delicto nec notitiam, nec suspensionem hauriat. Suadent sequentem modum: capta oportunitate, & animum benevolum in conjugem nactus conjux alter sequentia edicat: *Puto, quod eo tempore, quo matrimonium contrahebamus, non sufficientem consensum habuerim**; nonne vis mecum consensum instaurare, repetere, certum reddere: & si dein respondeat: *Volo*, totum negotium feliciter transactum erit. Vel etiam sequentem formulam, suspicioni præ illa priore minus obnoxiam adhibendam consulunt: *Quoniam ajunt, non raro consensus contrahentium vitio laborare, volumus securitatis gratia nostrum matrimonii consensum repetere.* Et obtentus desuper alterius annutus totum mox defectum sanabit. **

* Atque hanc assertionem mendacii vitio carere ex eo arbitrantur, quod utique consensus obstante impedimento minus sufficiens, planeque inefficax fuerit.

** Verum si conjugem ignorantem de vitio matrimonii prævie instrui necessarium sit, plane non video, qua ratione per hanc secundam formulam huic obligationi satisfiat. Per talem consensum conditione affectum, & soli securitati servientem alter de irrito prius matrimonio ne dubium quidem, multo minus aliquod iudicium, & notitiam concipiet. Sed pergendum.

Pars III. Th. Mor. M S. 1015.

§. 1015.

Quia vero sagax, & rerum expertus conjux ex dictis facile intelligere timeatur, quorsum ejusmodi dicta spectent; si exinde suspiciones, dissidia, vel omnino separatio, plenumve divortium cum ingenti prolis jam natæ dispendio, & publico fors scandalo timeatur, præcipue si matrimonium minus pacificum jam antea inter hos conjuges extiterit: tunc quæritur 4^{to}, quale pro conditione adeo tristi remedium superfit: & respondent multi etiam ex iis, qui obligationem de conjuge prævie instruendo tuentur, sic tandem tacendum, & usum matrimonii pro novo consensu accipiendum esse. Licet enim ista sententia illis minus probata sit: attamen putant tanta necessitate suppleri, quod alias huic opinioni ex pondere rationum deest. *

- * Verum cum sententia, & totum conscientiae negotium in judicio consistat §. 65; plane non intelligo, quod calamitas, ac periculum se ipsis, & proxime casu non mutato in negotio rationis pondus addere queant. Vel an forte jus fundi dubium ex eo validius sit, si tu fundo vehementer indigeas? crescente miseria ipsum officium misericordiae, & mutato officio etiam judicium desuper concipiendum mutari potest; manente eodem officio sola ærumna ad novam statuendam sententiam minime sufficit. Jam justitia, pactum, & quod huc pertinet matrimonium, sola alterius indigen-

gentia nullam mutationem subit, & sic eodem
judicio obnoxium manet.

§. IOI6.

Atque hæc sententia mihi, aliis, imo
ipsis ejusdem auctoribus difficilis ad-
modum; & periculosa videtur, sola negotii
necessitate eandem commendante. Sed an
ergo tot mala permittenda, aut potius
periculosa conjugis instructione inducenda
sunt? non est difficile graves & constantes
sententias statuere: sed easdem exequi cum
tanta pœnitentis molestia hoc arduum est,
hoc sensus caritatis, imo humanitatis ve-
hementer abhorret. Fors timida mulier
nihil dicere ausa, & tot malorum immi-
nentium acerbitate victa in perpetuo, &
insuper incesto concubinato perget. Jam
inprimis dari potest non nunquam casus
adeo difficilis, in quo aliud auxilium præ-
ter fugam non superest*. Neque pro a-
more DEI, & salute animæ, præcipue post
patratum peccatum aliquod, hoc nimis ar-
duum videri debet, cum pro justitia, &
conscientiæ integritate etiam innocentibus
aliquando ipsa mors subeunda sit.

* Sic fieri posset, ut mulier quædam virum di-
vitem, sed *impotentis*, aut sterilitatis malo
laborantem nacta, exinde alienum admittens
multam ex eo prolem pareret, ipso conjugè
desuper multum læto, utpote qui vitii sui

ignarus illos parvulos esse suos putaret. Jam infelix ab usu matrimonii, utpote conjugē frequenter eum petente, abstinere non poterit, nisi in eo suspicionem, atque exinde indagandi sollicitudinem excitet, & sic totum patefiat. Cumque hoc impedimentum nulla Ecclesiæ auctoritate tolli posset, aliud præter solam fugam superesse non videtur: præcipue cum ejusmodi fugam etiam alias fieri quandoque contingat.

§. 1017.

Verum in nostra causa aliquod perfugium plerumque superesse videtur; nisi tamen mea me fallat opinio. Itaque in tantis angustiis conjux impedimenti inscius reapse ad consensum, & instaurandum matrimonium erit ex diversis titulis * obligatus, vel non obligatus, §. 57. Et ista quidem obligatio in re tanti momenti, siquidem detur, gravis, & sub periculo lethalis peccati stringens erit. Si jam obligatio ineundi, & prosequendi hoc matrimonium omnibus consideratis ** nulla detur: tunc mea opinione aut fugere, aut rem aperire necessarium erit; eoquod alterum in re gravissima suo jure, & libertate privare, & in difficillimam conditionem *** arte aliqua inducere perpetuo malum sit.

* Hic plurima attendenda sunt, quæ gravis officii in tali conjugē causæ, & tituli esse possunt. Puta pietas in prolem, eti non in matrimonio-

trimonio, ex tali nihilominus Patre vere natam, quam insuper leges pro legitima in hoc casu habent, ob bonam scilicet Patris fidem. 2do Caritas, & misericordia in miseram, & fors paucorum delictorum ream conjugem. 3tio: Pietas in seipsum, ne tanto dolori, & fors peccandi periculo exponatur. 4to: Officium in communitatem, in qua, quod est gravissimi momenti, scandalum publicum posset oriri &c. Scilicet aliud est ex iustitia pacti, aliud ex diversis pietatis titulis teneri: licet enim in tribunalibus non adeo possunt attendi; at tamen alterum vere obstringunt, ut libero consensu malo medelam ferre teneatur.

“ Potest enim consideratis tot licet titulis pietas in seipsum eos omnes vincere, licet raro. Casus aliquis, exemplum hujus foret, si status hujus matrimonii deinceps continuandi tali conjugi fieret periculum probabilius peccandi graviter e. g. ob nimiam molestiam, animum extreme aversum, ita ut sufficientibus auxiliis §. 739, tale periculum probabilius minus probabile a se non extenuatum iri, prævideat. Nam mea opinione periculum mox descriptum post ipsum peccatum est summum malum §. 232, & seq. Probe tamen æstimandum, an talis non simile periculum dissolutio licet matrimonio, in alia vitæ conditione aditurus sit.

“ Nam nisi gravissima ratio urgeat, talis obligabitur ad prosequendum matrimonium.

§. 1018.

Quod si vero, quod longe frequentius est, inscius ille conjux ex prævalentibus

M 3

tibus

tibus rationibus, ex qua deincunque virtute incumbentibus ad constituendum deinceps matrimonium obligatus esse apparet: tunc, ut ego quidem opinor, impedimento, aut irrito matrimonio nullatenus prodito, arte aliqua, ab omni tamen mendacio vacua, ad novum consensum induci posse arbitrarer. Nullam enim injuriam ex eo intelligo, quod quis alterum absque simulatione, aut mendaci fraude ad explenda officia sua adigat. Et quia nullo etiam patefacto impedimento conjux ignorans, doctus tamen, & insuper suspiciosus forte, ejusmodi nimium religiosas matrimonii renovationes quorsum spectent, ex prima mox syllaba intelliget, de consensu obtinendo ingens non raro in hujusmodi dabitur periculum, & molestia.

§. 1019.

Et matrimonii usum veri consensus minus aptum interpretem esse jam supra §. 1013 * dicebam, & prout videtur in ambiguo hoc negotio præter periculosam confessionem, vel desperatam fugam nihil amplius supererit *: nisi fors mea alicui opinio probanda sit. Itaque si solide constet, omnibus probe æstimatis ignorantem conjugem ex aliquo officio e. g. pietatis in prolem obligatum esse, ad matrimonium
hucus-

hucusque irritum legitime ineundum: tunc seu per amicum, Sacerdotem, vel ipsam conjugem inducendus erit in actum amoris DEI supra omnia, seu in decretum omnem legem implendi. Talis enim actus obtentu non adeo difficilis **, & simul pro voluntate contrahendi matrimonium recte accipi poterit. ***

* Licet enim conjux conjugii irritato gravissimos a pietate in seipsum, & alios debendi titulos opponeret, eumque ad iterandum consensum obligatum esse demonstraret: quia tamen uxor vinculum justitiæ ex pacto ortæ ostendere non poterit, nulla curia nec sacra, nec profana nolentem consentire jubebit: etsi fors consulerent istud, lata tamen sententia nunquam præcipient. Scilicet vulgaris justitia, non item officia aliarum virtutum, materia judiciorum nostrorum plerumque esse solent.

** Etsi enim mens ignorantis conjugis a matrimonio multum abhorreat, & in illud obligatus licet vix, vel omnino non consentiret; hanc tamen obligationem per actum amoris DEI super omnia explere facile volet, utpote quæ sub genere obligationum latens, propria sua gravitate non absterret. Et non raro plenam justitiam saltem quoad officia graviter stringentia facile, & pro omni casu discernimus, etsi gravissima specialis cujusdam casus molestia, si ea cognosceretur, fors mentem dejiceret.

*** Per talem enim animi affectum vult omnes obligationes implere: atqui inter alias etiam est ista de consensu in matrimonium, prout

casus noster habet; ergo eandem explere tali affectu omnino decernit. „ Verum iste consensus est tantum *virtualis*, tacitus, nimumque implicitus, quam ut solidus, & ad constitutendum contractum sat efficax videatur: „ dein nescio, quæ pacta & donationes ex hac doctrina inducerentur &c. “ Sed iste consensus mihi videtur esse *formalis*, extans, atque ad pactum omnino sufficiens. Siquis Dominus procuratorem suum jubeat, ut omnia familiæ debita expungat; iste, ut meum mihi e. g. mutuum, quod huic familiæ dedi, solvatur, non tantum *virtualiter*, sed *formaliter*, saltem sufficienter jussisse mihi videtur: totum enim omnes partes satis *formaliter*, si ita vis, continet §. 724. Si tamen hæc notio *virtualis* menti tuæ nimis pertinaciter inhæreat; tunc dicam intentionem virtuales ad efficienda Sacramenta, & sic etiam ad Matrimonium, ad omnem generatim actum moralem, & sic etiam ad contractus, qualis rursus est matrimonium, facile sufficere, & donata e. g. tota hæreditate, etiam fundum aliquem inter res hæreditarias existentem sat efficaciter donatum esse.

Consecutiones ex hac doctrina aliquæ haberentur: at inter eas nulla absurda est, et si a foro exteriori tales attendi non queant. Non tamen vacat singulas referre, aut explicare.

C A P U T X.

De Statu conjugii, sed de jure ex contractu Matrimonii nato.

§. 1020. In negotio matrimonii tertio loco venit *status matrimonii*. Circa quod consideranda

§. 121.

- §. 1021. Est *imo facultas mutua in corpus*,
 §. 1022. *2do Cohabitatio*, &
 §. 1023. Denique *3tio* *Mysterium aliquod*.

§. 1020.

In negotio matrimonii post contractum, seu potius ex contractu conjugali, *tertio* scilicet loco extat, & intelligitur *jus quoddam perenne* conjugibus exinde competens. Quod quidem jus non novæ legis Sacramentum, utpote quod solo contractu absolvitur, mysterium tamen, atque symbolum unionis CHRISTI cum Ecclesia divinitus institutum existit: aut rectius illius conjunctionis, quæ CHRISTUM inter & animam justi intercedit, nobile signum esse dices. Nam hoc vinculum prout ex mero contractu est natum, auctoritate Ecclesiæ dissolvi adhuc potest, & sic perennis unionis non sat aptum paradigma foret. Unio enim CHRISTI cum anima justi pro dolor! frequenter; illa vero cum Ecclesia nunquam infringitur. Cæterum hoc vinculum, seu jus * ex contractu ortum §. 933, nihil aliud est, quam STATUS MATRIMONII, persistens scilicet, cum contractus matrimonii, & novæ legis septimum Sacramentum aliquid transiens, ac brevi durans esse soleat. Jus autem hoc ex contractu recens ortum, est ipsissimum matrimonium *ratum*, uti vocamus, quod non nisi ipso

usu & actu (de hoc postea) in *consummatum* evadit ; quo dein vinculum omnium firmissimum constituitur. De illo igitur jure seu de vinculo ex contractu proxime nato jam agendum venit.

- Igitur Matrimonium, quantum ex jure naturæ, & ex propria hujus status conditione, nihil aliud est, quam jus ex pacto natum §. 1150, & 1151, quod utrique conjugii in alterius corpus *ex conventionione libera*, seu ex fide mutuo data competit. Ubi doctrinæ meæ §. 357, & seq. traditæ ingens robur accedit. Scilicet castitas mihi illud officium vocatur, quod a potentia generante contumeliam ei propriam avertit §. 342, aptius vocaretur pietas facultati generanti debita. Cum vero alia carnis dedecora e.g. fornicationem huic definitioni succenturiare non possem ; eadem utpote naturali pietati non adversa, justitiæ opponi dicebam. Hic jam tumultus, ac pene scandalum ! quid fornicatio non amplius contra castitatem ? ergo Religiosus stuprum committens votum castitatis non amplius violat ? alii alia objectabant. Jam

Si ego fornicationem non ad peccata carnis retulisset §. 357 ; si eadem furto, ac detractione deteriora esse eod. §. 30*, vel cum jure naturæ pugnare negasset §. 372 : tunc legitimam quærendi causam habuissent. Nunc vero cum peccatum contra naturam, *impium* ; fornicationem vero *iniquam* libidinem nomino, utique meris vocabulis offenduntur. Dum fornicationem intrinsece malam esse ostendunt Theologi morales, & juris naturæ interpretes ad diversissimos titulos recurrunt. Alii dicunt:

extra

extra conjugium proles infeliciter educaretur. Alii animum ab æternis bonis tali usu avocari; & rursus alii commune periculum scandalum, alii denique alia mala ex concubitu non conjugali oritura esse asserunt. Jam dic obsecro! an scandalum, an æternorum neglectus, an pietas in prolem sunt virtutes ad castitatem pertinentes? & proin vitium hinc adversum an potest esse contra castitatem? Nonne etiam isti, si sibi constare velint, fornicationem religioni, caritati, pietati opponere deberent, dum ad ejusmodi titulos a castitate alienos palam confugiunt? Quid ergo accusatur circa hoc vitium titulus justitiæ, & alii a castitate diversi tacite probantur? quæ quidem jam §. 357 * satis innuebam.

Argumentum a voto castitatis petatum est plane nullum. Certum quippe est, quod voto castitatis integræ non solum peccatum contra castitatem, sed alia insuper prohibeantur. Sic Titius voto simplici, sed integræ castitatis ligatus, & matrimonium contrahens peccat contra votum castitatis, & tamen nullum committit peccatum contra castitatem, si ab uxore actum conjugalem abs prævia dispensatione exigat. Scilicet voto castitatis ex communi usu non tantum peccatum contra naturam, imo non tantum libidinem contra justitiam, sed omnem actum carnis etiam legitimum alias ejurare solemus. Et in Professione religiosa minime disputamus, contra quem titulum diversi carnis actus pugnare videantur. Et utique hoc argumentum vix. - - Sed

Juvat rem ex solidis principiis tentare per sequentes propositiones: quarum *1^{ma}* est: *Controversia nostra in eo est, ex quonam titulo, vel ex cujus virtutis efficacia fornicatio jure naturæ*

tura sit mala. Hanc propositionem a nemine impugnandam esse censeo: ego certe de nullo alio negotio velim in præsentis disputare. Quare sit

Propositio 2da: *Matrimonium in jure natura consideratum est contractus, ex quo inter duos nascitur jus in corpora, prout hoc ipso, & seq. So explicatur.* Aliud enim ego nihil possum intelligere ex his verbis: *Ego accipio te in meum: & ego volo esse tua &c.* Et licet cum multis, inter quos SS. HIERONYMUM, & BONAVENTURAM referunt, dicas, Matrimonii jus esse ex lege naturali indissolubile, ac proin Judæos utentes libello repudiî peccasse: per hanc sententiam juvas propositionem meam: nam jus perenne magis est jus, quam jus fluxum, & mutabile. Sequitur jam

Propositio 3tia: *Actus generationis naturalis, si fiat extra contractum matrimonii, & illo conjugii jure nondum extante, est fornicatio, peccatum, actus intrinsece malus: contra vero prorsus idem actus, si fiat post contractum, & jure conjugii jam præsentis, est legitimus, ex sua natura bonus, & ab omni nevo purus.* Etiam ista propositio, ni fallor, est omnium: mea tamen est sequens

Propositio 4ta: *Illius actus (fornicationis) malitia ad genus injustitiæ pertinet, quæ adveniente solo jure plene purgatur, penitusque extinguitur, etsi actus ex se priori, & extra matrimonium exercito actui, prorsus sit similis, & quantum ad conditionem naturalem omnino idem.* Quid vero contra hanc propositionem excipere queant; ego quidem hucusque ignoro.

Illud tamen addere liceat: meam sententiam optime explicare, vereque satisfacere, quod nec

nec DEUS quoad fornicationem *dispensare*, id est, illud officium relaxare queat, quo actus generationis extra matrimonium prohibetur. Nam vel DEUS absque prævio contractu matrimonii tribuit jus mutuum in corpora, puta per decretum speciale, & divinitus manifestatum; & mox aderit status Matrimonii, qui alius non est, nisi jus in corpora §. 1020: vel DEUS extra contractum nullum tribuit speciale jus; & tunc actus generationis manet usus rei alienæ eo usque, donec inito contractu consentientes matrimonium ipsimet homines constituent. Re enim aliena absque consensu Domini uti, est jus alienum lædere: DEUS vero omnia jura tollere, vel constituere potest: durante autem jure aliquid juri adversum permittere non DEUS potest. Vid. §. 323 *.

§. 1021.

Duo hic expendenda sunt, ipsum scilicet *jus*, & ea, quæ huic juri sunt *contraria*. Ipsum hoc jus *tria* importat: ex quibus primum est, quod per illud unus conjux fiat alterius, quantum ad corpus, non quidem integrum, sed quoad eas facultates, quæ generationi inserviunt, ita ut *vir non habeat potestatem corporis sui, sed mulier, & rursus mulier non habeat potestatem corporis sui, sed vir. I. Corinth. VII. 4.* Unde datur gravis obligatio ad petitionem alterius actum conjugalem exercendi *, nisi ab ea per causam aliquam, de quibus §. 1027, & seq. agam, eximatur.

* Vigi-

* Vigilare hic convenit Sacerdotem, & sæpe causam diffidiorum inter conjuges alterius, & plerumque mulieris in reddendo debito pertinaciam esse detegit. Fæminæ enim citius exoletæ hujusmodi actu aliquando parum solent delectari, vel affligi etiam, Viro interea vehementer incontinentiæ periculum sustinente. Solent equidem in sacro Tribunali ejusmodi uxores se accusare, vel interrogare, sed circumstantias multum minuere: E. g. *Vir non efficaciter petit: mox cedit* &c. Cum tamen verecundia, tædium & similia hujus abstinentiæ non sat liberæ sint causa.

§. 1022.

Secundum hujus juris, & obligationis caput est, ut conjuges *cohabitent*; curas, & onera familiæ mutuo auxilio sublevent; ac denique se pro eodem pene homine habeant. Est enim hæc societas antiquissima, generi humano necessaria, atque per ipsam proin naturam inventa; denique arcta, sanctaque adeo, ut illud vinculum parentes inter, & filios superare videatur, juxta illud GENES. II. 24. *Quamobrem relinquet homo Patrem suum, & Matrem, & adhærebit uxori suæ.*

§. 1023.

Tertium, jam huic juri ex institutione divina adhæret nobilis illa destinatio, qua conjuges etiam solo hucusque contractu,

ctu, nulloque carnis opere conjuncti representant CHRISTUM cum anima justa, seu in gratia sanctificante constituta conjunctum, utpote quæ locum desponsatæ conjugis vere obtinet, & immensis ardoribus a divino sponso deperitur, etsi ad ejus amplexus nondum pervenerit: perveniet autem abs dubio ad eosdem, nisi ob perfidiam suam, id est, per grave peccatum a DIVINO SPONSO repudiari mereatur. *

- * Et quidem, quod etiam ex matrimonio rato tantum divinæ institutionis vinculum aliquod habeatur, patet ex eo, quod hoc vinculum mutuo consensu neutiquam, sed non nisi sacra, & summa, quæ in Ecclesia datur, auctoritate dissolvi queat. Cum alias quantum ex jure naturæ vinculum conjugale solo conjugum consensu tolli posse, videatur. Vid. dict. §. 367, & seq. Præterquam quod inter baptizatos hoc jus conjugii sit effectus Sacramenti plerumque saltem, & sic ex gratia natum non potest non esse sacrum, ac reverendum.

C A P U T XI.

De iis, quæ juri conjugii contraria sunt.

- §. 1024. Solvitur vero hoc vinculum matrimonii rati, cum Professione religiosa,
 §. 1025. Tum auctoritate Pontificis.
 §. 1026. Aliqua tamen solum usum matrimonii, seu societatem
 §. 1027. Vel integram, vel quod actum conjugii tantum interceptiunt. Inter has rationes una est facilis consensio conjugis: §. 1028.

- §. 1028. *2da*, Si alter actu *non humano* exigat;
 §. 1029. *3tia*. Est petitiō *nimis ardua*; maxime,
 §. 1030. Quæ est *4ta* ratio, si *probabilius mortis periculum* urgeat.
 §. 1031. Subsequitur *5ta*; estque *affinitas* post initum Matrimonium ex incesto adulterio contracta.

§. 1024.

Explicato ipso jure conjugii, *ea*, quæ eidem *adversantur*, docenda veniunt §. 1020. Jam aliqua *ipsum jus* tollunt, dum alia ejus duntaxat *usum*, & *executionem* impediunt. Ipsum hujus juris vinculum jam in Paradiso institutum non tantum baptizatos, sed etiam nondum baptizatos afficit: & hos quidem arctiori quadam ratione, eoquod matrimonio legitimo tantum, & nondum consummatò ligati nullum illud dissolvendi subsidium habere videantur, donec ope Baptismi Ecclesiam ingressi, remediis Christianorum uti queant. *Fidelium* itaque, seu sacro fonte regeneratorum matrimonia rata, auctoritate PONTIFICIS dissociantur. Talis vero sententia ejusmodi connubia solvens vel est *generalis*, ac vera lex, qua Professioni religiosæ tanta vis tribuitur c. 2, & 7. *de convers. conjug.* quæ doctrina tandem in dogma evasit, dum CONCIL. TRIDENT. *Sess. XXIV. c. VI.* definit: *Siquis dixerit, matrimonium ratum, non consummatum per solem-*

*lemnem religionis Professionem alterius conjugum non dirimi: anathema sit. **

- Unde primo bimestri non tenetur conjux alteri etiam petenti debitum reddere, si intendat, aut saltem fluctuet circa Religionem ingrediendam c. 7. de convers. conjug. Evoluto altero mense tenetur debitum reddere, neque salva justitia poterit Religionem profiteri. Si tamen pars altera consentiat, & matrimonium nondum sit consummatum, quocunque tempore vi Professionis poterit tale matrimonium & quidem etiam juste dissolvi.

Sed an Religionem nullatenus ingredi decernens primo bimestri, alteri conjugi petenti debitum conjugale negare absque piaculo queat, *controversum est* inter D. D. Mihi negans hucusque verior est: utique nisi alia causa hanc negationem justam reddat. Alias primo mox bimestri conjugi petenti obsecundare debet: eoquod leges bimestrem tergiversationem pro sola libertate ingrediendi Religionem concedant.

§. 1025.

Porro alia sententia matrimonium ratum disjungens est *specialis*, seu decretum, & relaxatio a PONTIFICE ad singularem casum facta. Et licet hanc facultatem PONTIFICI dubiam reddere voluerint, & omnia alia desint, ex eo tamen certa fit, quod etiam vis professionis religiosæ circa matrimonium ratum pene abs omni dubio de solo jure humano obtineat. Licet mi-

Pars III. Th. Mor. N nime

nime negaverim, ad id requiri gravem causam; & hanc PONTIFICIS potestatem esse singularem, & extraordinariam, eoquod tali sententia proxime jus divinum relaxare videatur §. 1023.

§. 1026.

Verum alia *non* ipsum *jus* matrimonii tollunt, sed tantum ejusdem *usum* impediunt 1024. Ita, ut tales veri conjuges maneant, neque ad aliud conjugium transire queant, etsi suo uti prohibeantur. Et quia hoc jus duos potissimum actus spectat scilicet *actum conjugii*, seu generationis, & *exteriorem* ac familiarem societatem §. 1021, & 1022 *: ideo modo *usus matrimonii* solus interceptus esse; nunc vero etiam aperta familiaritas, seu *vita socialis* cessare potest.

* *Tertia* enim connubii dos, de qua §. 1023, nullum habet effectum, unde non nisi cum ipso conjugio cessare, aut impediri potest.

§. 1027.

Causa usum matrimonii intercipientes imprimis sunt omnes illæ, quæ ipsam *exteriorem* societatem, & unionem familiæ tollunt, & de quibus §. 1032, & deinceps agam. Prout clara ratio ostendit, homi-

homines, quibus longo spatio distare permissum est, multo minus ad mutuam corporis usum adstringi. Sed dantur etiam rationes, quæ durante societate familiari, & quam *cohabitationem in eadem domo vocamus*, alterutrum conjugem a præstando opere matrimoniali eximunt. Inter quas est *prima*, si conjux alter id serio non petat, vel a petitione sua facile absteineat: nemo enim tenetur solvere, si alter nihil exigat; dummodo vere gratuito, & non metu majoris mali, vel gravi sensu verècundix ab exactione sua cesset, vid. §. 1021. *

• §. 1028.

Ratio *secunda* datur, quando conjux alter jus suum exigat actu *non humano*, aut non libero: eoquod e. g. sit vel plene ebrius, aut profus amens *. Aliud si dimidius saltem rationis usus supersit.

- * Nam obligatio tanquam vinculum morale non potest intelligi, sine causa, & actu morali, qui quidem necessario debet esse humanus, & liber. §. 33, & 34. Licet autem obligatio actus conjugalitatis oriatur ex contractu matrimonii §. 933, obligatio tamen definita, & pro hac e. g. vice explenda non oritur sine exactione morali.

§. 1029.

Tertius excusationis titulus est petitio in humana, & adeo ardua, ut consuetus contrahentium consensus ad molestias tam graves se plerumque extendere non censeatur, & forte extendere ne quidem potuerit. *

- * Ad hunc titulum tanquam exempla referenda sunt: si opus conjugale nimis frequenter, & cum notabili sanitatis detrimento petat e. g. ter, quaterve in eadem nocte: vel aliis advertentibus exercendum. Item si ex morbo contagioso e. g. *gallico* periculum contrahendæ similis infirmitatis absterreat. Rursus si vir impius generationis vitandæ studio opus imperfectum soleat obire, materiam conceptui aptam studiose pessumdare: ad tantam impietatem ne quidem remote cooperari obligatur pars innocens. Ad evadendam tamen duram tractationem, aliaque mala, si velit, poterit præmissa admonitione, ac protestatione talem actum admittere: nam quousque pars innocens cooperatur actus iustus, nec naturæ adversus est: conatus impius est totus alterius, neque sua actione partem peccati constituit §. 246. conjux melior.

§. 1030.

Sed an molestia educandæ prolis, & partus pericula inter causas excusantes admitti possunt? & quidem ordinaria minime; in hæc enim utpote matrimonio congenita conjuges necessario consenserunt. Quare
neque

neque ordinariam paupertatem, & mendicitatem pro causa negandi debitum probant *. Gravissima tamen, & minime prævisa *egestas* ex multiplicanda prole imminens, & *partus difficultas* tanta, quæ proxima vice ex judicio intelligentium *probabilius* mortem inferet, pro legitima, & *quarta* excusatione statui debet, ex qua alter etiam invitus ab usu matrimonii repellitur potest. **

* Ab hac tamen regula ex meo judicio excipi debet paupertas etiam ordinaria tantum, si alter conjux sua prodigalitate, pompa, otio; paucis culpa sua, ejusdem causa existat. Ad mutuam operam ipso contractu conjugii sese obligarunt, ut quid igitur iniquum sit, si perfido fides non fervetur.

** Sed in hoc sola uxoris assertionem minime standum est, & hæc etiam in foro conscientiarum adigi debet ad eas rationes edendas, ex quibus in proximo partu mortem probabilius timeat: e. g. ex consensu Medicorum, obstetricum, experientia &c. Nam meræ imaginationes, judicii pertinacia & ejusmodi hic non raro subsunt.

§. 1031.

Quintus in petendo debito obex est, si conjux contracto jam matrimonio cum persona, quæ saltem in secundo gradu cum conjuge sua *consanguinea* existit, *perfectum adulterium* committat. Talis jam

N 3

ex

ex c. 10. de eo, qui cognovit a conjuge sua, quæ perfidiæ ignara ex causa adulterii non potest excipere, non potest actum conjugalem exigere *; licet eidem petenti obsecundare teneatur. **

* Nisi hoc impedimentum eidem per legitimam potestatem, qualis in Episcopis, aliisque datur, fuerit relaxatum.

** Atque cau^r hucusque relatæ omnibus probantur; de proximis disputant: an scilicet conjux teneatur reddere debitum *die Communionis*; tempore *fluxus mensuræ, prægnationis, purgationis post partum, lactatus &c.* Mea opinio circa ista in eo est, quod sicut alter abs gravi delicto, imo accedente proba aliqua causa, etiam sine levi noxa potest petere, ita alter tenetur reddere. Si de valore Matrimonii dubitetur, mea opinione, quam alibi jam innui, communes de conscientia regulæ §. 74. seq. traditæ teneri, & jus canonicum e g. c. 44. de sentent. excom. inter partem nocentem, & innocentem distinguens pro judicio fori externi intelligi debet. Nam non tantum petendo, sed etiam reddendo debitum minus, æque, vel magis probabiliter contra jus naturale peccabit conjux dubitans.

C A P U T XII.

Causæ ad divortium, & separationem a familia sufficientes referuntur.

§. 1032. Causæ familiarem convictum dissociantes sunt *mutuus consensus,*

§. 1033.

- §. 1033. *Hæresis, & incitatio ad peccatum;*
 §. 1034. *Item Savitia, &*
 §. 1035. *Maxime adulterium;*
 §. 1036. *Si sit perfectum,*
 §. 1037. *Et nondum remissum.*
 §. 1038. *Ubi hujus separationis effectus recensentur.*

§. 1032.

Usus juris conjugalis non tantum quoad *actum matrimonii*, sed etiam quoad *familiarem societatem* aliquando cessare potest §. 1026. *Causa* ad tantam separationem *sufficientes* vel a voluntate *utriusque*, vel *alterius* tantum conjugis existunt. Ex voluntate utriusque conjugis disjunguntur per *mutuum consensum*, utique sine injuria obtentum *tot. titul. de convers. conjug.* Quorsum pertinet professio religiosa de alterius conjugis voluntate emissa: quæ etsi matrimonii *consummati* vinculum non dissolvat; ejus tamen usum, societatem tollit. *C. 4, 5. de convers. conjug.* Estque causa divortii perpetui, maximeque firma, utpote quæ nec mutua voluntate, secus ac reliquæ omnes, aboleri potest.

§. 1033.

Alia ratio ad præsentem effectum sufficiens habetur ex *sola alterutrius* conjugis *voluntate*, seu potius injuria libere illata. Quæ fere possunt dividi in eas,

N 4

quæ

quæ ad *animum*, & in illas, quæ ad *corpus* spectant. Ad *priorem* classem pertinet *1^{mo}* hæresis *, & apostasia ** *c. 6. de divort. 2^{do}* incitatio ad peccatum grave quodcunque. *C. 2. de divort.* Incitatio inquam, utique periculosa deinceps, ut puto; nam præterita, & exin non amplius iteranda non sufficiet.

* Si tamen conjux delinquens ad Ecclesiam redeat, etiam conjux fidelis ad eundem redire tenebitur. Nisi judicio Ecclesiæ ab eo discesserit, & (quod aliqui insuper requirunt) interea religionem sit ingressa. *Vid. c. 6 & 7, in fin. de divort.*

** Id est, si non tantum a Religione catholica quoad aliquos articulos, sed a Religione christiana penitus discesserit, e. g. ad Religionem Gentilem, Mahumetanam, mere naturalem deflectendo.

§. 1034.

Causæ & injuriæ *corpus* attinentes possunt pertinere vel ad corpus *innocentis*, vel *nocentis* conjugis. Jam corpori innocentis per fugam consuli potest, si ei a *sevitia* alterius periculum mali gravis immineat deinceps. *C. 8, & 13. de restitut. spoliat.* Fit autem hæc separatio vel *propria auctoritate* *, si periculum in mora sit; vel *sententia Judicis*. Post sententiam tamen ejusmodi debet securitati redeuntis per pignora, aut fidejussiones consuli, *l. 59. §. ul.*

§. ultim. ff. Mandati: vel si ob gravissimum odium ista remedia sufficere non videantur; debet perpetua separatio decerni *c. 13. de restitut. spoliat.*

* Ista tamen separatio usque ad sententiam non est perpetua *c. 8. de restitut. spoliat.*

§. 1035.

Alia injuria pertinet ad corpus conjugis *nocentis*, seu fors rectius innocenti in corpore perfidi conjugis infertur; dum jus innoxii conjugis, quo corpus alterius eidem soli devinctum est, per *adulterium* graviter violatur. Unde *adulterium* est legitima causa perpetuo ab infideli consorte divertendi *. Ubi imprimis ipsa hujus divortii *causa* seu *adulterium*; & dein ejus *effectus* considerari debet.

* Hujus separationis gravissimum argumentum petitur ex ratione naturali: nihil enim æquius est, quam ut contra fidem agenti fides non debeat. Et quia ipsum matrimonii consummati vinculum ex modernæ providentiæ constitutione dissolvi non potest, hocque vinculum est perpetuum §. 378: justitia tamen sibi id saltem petit, ut usu, & emolumentis hujus juris perfidus conjux carere cogatur, ut adeo innocens conjux ab adultero jure separari queat. Accedit pro hoc genere divortii etiam Auctoritas divina MATTH. V, & XIX, & humana insuper *ex c. scilicet 4, 5, 8. de divors.*

N 5

Neque

Neque obstat *c. 3. de adult.* præcipiens: *Quod si mulier dimissa egerit penitentiam, & voluerit ad virum suum reverti, debet iste, sed non sæpe recipere peccatricem.* Nam per ejusmodi verba non obligatio justitiæ ex contractu matrimonii ortæ, sed titulus pietatis, caritatis, misericordiæ innuitur. Et utique virtutes istæ ex vi sibi propria non raro innocentem obligant ad reum in gratiam recipiendum, utpote qui alias ingenti e. g. incontinentiæ periculo exponeretur &c, per quæ tamen non vinculum justitiæ, sed caritatis, misericordiæ &c. inducitur.

§. 1036.

Adulterium jam, ut perpetui hujus divortii causa esse possit debet esse *perfectum*, & hucusque *nondum remissum*. Et quidem perfectum debet esse tam *naturaliter*, id est, ut non sit mere inchoatum, prout colligitur ex *c. 5, & 8. de divort.* quam *moraliter*, id est, ut fiat a rationis compote, item a bene gnaro, suam e. g. uxorem adhuc vivere, & hanc mulierem esse alienam. *

- * Ex communiore item sententia hæc pœna incurritur etiam per coitum naturæ adversum, de quo §. 344, & 345. Item licet quis gravi metu adactus hanc turpitudinem perpetret: nam minæ, aut quæcunque molestiæ maculam perfidiæ ab ejusmodi actu non possunt abstergere.

§. 1037.

§. 1037.

Debet insuper adulterii injuria hucusque *nondum esse remissa* §. 1038. Qui enim juri divortii ex alterius infidelitate sibi adquisito renuntiat, eodem uti non poterit. Ejusmodi *remissio*, vel cessio fit vel per *compensationem*, si scilicet pars altera similis delicti rea existat *c. 4. de divort. **, vel per solum *consensum*. Potest autem vel *prævie* ad adulterium consentire, si e. g. cum facile posset, non contradicat *Reg. Jur. 43. in c. 6.* vel omnino consentiat aperte, consulat, aut inducat ad nefas hoc. *Reg. Jur. 27 in 6, & c. 6 de eo, qui cognovit.* vel potest consentire, seu potius suo consensu factum divertendi jus remittere *ex intervallo*, seu postquam adulterium jam contigit. Idque fit vel per *verba* aperta *Reg. Jur. 61 in 6*: vel *facto* hunc consensum significante. Quale quidem factum esset, si conjux innocens delicti ab altero perpetrati probe conscia matrimonio tamen libere, & abs contradictione uti pergat.

- * Atque communis D. D. sententia id habet, nihil referre, quod alterius partis adulterium sit publicum, gravius, frequentius, tempore prius: nam hic fracta duntaxat fides attenditur, adeo ut recentis adulterii reus uxorem etiam vi publicæ sententiæ prius jam separatam saltem sub obtentu condonationis teneatur

tur recipere. Nam ejusmodi crimina mutuo compensantur *c. ultim. de adult. & c. 3, & 5. de divort.*

§. 1038.

Et hæc de *causa* hujus divortii, seu de adulterio: nunc de ejusdem *effectu* agendum restat §. 1035. Estque potissimus in eo, quod pars innocens ab alterius toro, & habitatione separari possit, *C. 4, & 5. de divort.* prout jam dictum est. Licet non raro ex caritate, misericordia, imo ex pietate in seipsam, ex prolem suam ad remittendam hanc injuriam in foro conscientiae teneatur, & ad id a Sacerdote in sacro Tribunali adigi sæpe debeat. Jura humana huic separationi alium insuper effectum addiderunt: scilicet ut proles apud innocentem conjugem, & insuper sumtibus nocentis *plerumque* educari debeat. *Novell. 117, c. 7.* quod etiam in casu sævitiae obtinet. Præterea ut conjux reus dotem, vel contradotem, & donationes propter nuptias perdat, eæque parti innoxiae accrescant vel integre *c. 4. de donat. inter.* vel saltem quoad usumfructum, si liberi legitimi ex tali matrimonio extant. *Novell. 117. c. 8.*

CA.

CAPUT XIII.

De usu Matrimonii, & prole inde nata.

- §. 1039. In negotio Matrimonii quarto loco venit *usus*, seu *actus Matrimonii*. Ex quo actu
- §. 1040. Jure divino non nisi morte, aut divina Auctoritate deinceps relaxanda Matrimonii *firmitas* oritur. Quæ quidem
- §. 1041. Etiam de *Matrimoniis non baptizatorum* intelligenda sunt,
- §. 1042. Solis tamen Judæis legitimus quondam *libellus repudii* competebat: nunc vero christianis
- §. 1043. Non nisi *unicus* hujus *relaxationis casus* superest. Ultima tandem Matrimonii *naturalis*, non *moralis* appendix est *proles*.

§. 1039.

In materia Matrimonii 1^{mo} loco intelliguntur sponsalia, quibus non ipse status, sed contractus Matrimonii aliquando ineundus proxime promittitur. 2^{do}: Jam hic ipse contractus: & 3^{tio} natum ex contractu isto jus considerari debet. Quæ deinceps tria jura 4^{to} demum loco excipit *Usus* hujus juris, seu *MATRIMONII*, qui quidem nihil juris est, sed quod mox dictum est, *usus juris*, aut certe, si ad exactiorem alterius conjugis matrimonio operatur, ejusmodi actus matrimonii est solutio juris: & sic a jure differt, sicut ab officio differt expletio ejusdem *vid. §§. 147, 148, & 149.* Et per talem jam actum *Matri-*

Matrimonium fit *consummatum*, quod per jus ex contractu constitutum *ratum* duntaxat erat. Vide §. 933, ubi proinde fors rectius sex omnino in re matrimoniali gradus statuissem: scilicet 4^{to} loco usum matrimonii, 5^{to} statum conjugii consummati; hic enim est actus conjugalis effectus, ac proin ab eo distinctus, prout mox dicetur. Et 6^{to} dein loco proles commemoranda venisset. Jam

§. 1040.

Licet matrimonii usus ex natura sua nequam aliquid juris, sed merum factum existat; per institutionem tamen divinam fit *causa novi*, & gravissimi *juris*. Ex usu enim matrimonii speciale, & ab illo, quod alias ex contractu venit, longe diversum jus oritur, quo conjuges tam arcto deinceps vinculo colligantur, quod nulla adulterii perfidia, nullo illorum consensu, nulla seu sacra, seu profana potestate, sed sola morte, & divina concessione relaxari potest, TRIDENT. *Seff. XXIV.* & maxime *c. VII*, ita ut ejusmodi CHRISTUM, & ECCLESIAM repræsentantes cœlestis illius, quo nobilissimum illud par Sponsorum perpetuo constrictum manet, vinculi symbolum existant. *

* Hic vero licet tantus nexus Divino arbitrio constitutus, non jure naturæ natus est. Vid.

§. 368 prout mea opinione vera, non tamen certa sententia habet: gravissimi enim aliter sentiunt.

§. 1041.

Et utique, quod arbitraria DEI lege in Paradiso lata vim suam obtinuit, & generali primi parentis oraculo ex instinctu SPIRITUS S^{ci} promulgatum fuit, omnes omnino homines ex ADAMO descendentes, nulla religionis aut baptismi habita ratione, afficit. *Vid. TRIDENT. Sess. XXIV ab initio, & I ad Corinth. c. VI & VII.* Quare omnia Gentilium, Mahumetanorum, & post mortem CHRISTI etiam Judæorum matrimonia consummata per nullam humanam Auctoritatem disjungi possunt. Licet plerique horum legem hanc Paradisi ignorent, vel ignorare velint.

§. 1042.

Divina tamen auctoritate, qua firma adeo conjunctio inducta fuit, omnino tolli potest. Et quidem in lege Moisaica DEUTRONOM. XXIV. 1. permiffum erat uxori dare libellum repudii, & sic eam dimittere. *Quoniam*, prout asserit CHRISTUS MATTH. XIX. 8, MOYSES *ad duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere uxores: ab initio autem non fuit sic.* Quia vero hanc licentiam per
MOY-

MOYSEM concessam CHRISTUS eodem loco revocavit dicendo: *Dico autem vobis, quia quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mæchatur: & qui dimissam duxerit, mæchatur*: ideo in nova lege firma, & inseparabilia manent matrimonia consummata. *

- * Protestantes tamen ex verbis CHRISTI illas particulas mox relaxatas: *Nisi ob fornicationem* captant, atque exinde adulterium ad dissolvenda etiam novæ legis Matrimonia causam ex Divina CHRISTI Auctoritate legitimam esse volunt. Nobis contra hos CONCIL. TRIDENT. *Sess. XXIV. c. VII.* contrarium definiens sufficiat: reliquam desuper disputationem Theologis dogmaticis relinquimus.

§. 1043.

Unicum tamen divinæ concessionis, qua tam firmus conjugii nexus rumpitur, exemplum superest. Et habetur ex *I ad Corinth. VII.* *Quod si infidelis discedit, discedat: non enim servituti subiectus est frater, aut soror in huiusmodi.* Ex quo jam PONTIFEX c. 7. de divort. ita statuit: *Si alter infidelium conjugum ad fidem catholicam convertatur, altero vel nullo modo, vel non sine blasphemia divini Nominis, vel ut eum pertrahat ad mortale peccatum, ei cohabitare volente, qui*


qui relinquitur, ad secunda, si voluerit, vota transibit *. Quinto, & ultimo loco in negotio conjugii recensent PROLEM §. 933 tanquam finem matrimonii, utpote ad quem omnia hucusque tractata spectare, & totus conjugii apparatus tendere videtur. Verum ego jam §. 933 receptissimæ huic sententiæ (nescio an non justo audacius) litem movi: & finem matrimonii non prolem, sed conatum generandi, utpote qui solus est in libertate conjugum, statui. Fructum matrimonii seu liberos, ejusdem physicam, & fere fortuitam, minimeque moralem appendicem esse volebam. Unde officia parentum in prolem concipiendam nulla esse §. 341, & alibi jam dicebam. Officia vero in prolem jam conceptam, vel omnino jam natam lubens agnosco: sed illa neutiquam ex titulo matrimonii, sed ex naturali quadam unitate sanguinis derivabo inferius. Idque eo justius a me fieri arbitror, quod officia pietatis naturalia (quidquid dein leges humanæ constituerint) præcipua, & ut puto, omnia proli etiam extra matrimonium natæ debeantur. Non ergo ex causa matrimonii eæ, obligationes oriri possunt, quæ abs omni matrimonio eadem, & integra existunt. Paucis, matrimonii vinculum ad prolem naturale, non morale est.

Pars III. Th. Mor.

Q

¶ Illud

- Illud solum in hac causa controversum manet, an conjugē infideli equidem non converti, absque tamen veri Numinis injuria cum conjugē christiano convivere volente, an inquam, etiam in hoc casu discedere Christianus queat. Id volunt aliqui (quibus nolim accedere) ea ratione persuasi, quod christianus possit discedere a conjugē in priore errore permanente, si iste illum pertrahat ad mortale peccatum c. 7. de divort. jam christianis prohibitum est c. 5. de Judæis, ne in Paganorum domibus habitent: unde talis convictus hisce auctoribus videtur christianum ad peccatum pertrahere.



TRA.



TRACTATUS XIV. DE ECCLESIA CHRISTI.

CAPUT I. *De origine Ecclesie.*

- §. 1044. Superest, ut gratiarum exteriorum tertium genus, sacram scilicet potestatem cum Ecclesia expendamus;
- §. 1045. Cujus divinum caput est CHRISTUS, qui
- §. 1046. Spirituale hoc regnum sanguine suo adquisitum,
- §. 1047. Et in tres partes divisum gubernat. Et quidem Ecclesiam triumphantem,
- §. 1048. & Purgantem proxime, ac per seipsum;
- §. 1049. Militantem vero per duces suos regit.
- §. 1050. Quare tres hæ Ecclesiæ tanto vinculo sibi mutuo devinctæ, in primis
- §. 1051. Habent eam, quam vocamus, Communionem SS. Atque exinde gloria Beatorum a nobis magnopere celebranda;
- §. 1052. Purgantium animarum,
- §. 1053. Et in hæc vita decertantium Christianorum ærumnæ, ac pericula omni, qua licet, ope a nobis avertenda sunt.

§. 1044.

Amplum religionis supernaturalis regnum, & imminetia nobis exinde officia §. 395, describi cæpta post longam adeo tractationem ne nunc quidem emensi sumus.

Nam post explicatum Sacrificium, & Sacramentorum doctrinam, quantum potui, digestam, superest tertium, & præcipuum aliquod gratiarum *exteriorum* genus, scilicet **ECCLESIA**, & **SACRA** quædam **POTESTAS**. *Vid. §. 104.* Ubi nobilissimi, amplissimique Imperii descriptio adornanda est; & christianæ conditionis admiranda dignitas pariter, & copiosa officia, prout facultas feret, mihi explicanda est.

§. 1045.

Neque aptius hujus doctrinæ exordium possum sumere, quam a verbis **APOSTOLI** *ad Ephes. c. II. 4, & seq.* scribentis: **DEUS** *autem, qui dives est in misericordia, propter nimiam caritatem suam, qua dilexit nos, & convivificavit nos in CHRISTO. . . . Nunc autem in CHRISTO JESU, vos qui aliquando eratis longe, facti estis prope in sanguine CHRISTI. . . Ergo jam non hospites, & advenæ, sed estis cives Sanctorum, & domestici DEI, superedificati super fundamentum Apostolorum, & Prophetarum, ipso Summo Angulari Lapide CHRISTO JESU: in quo vos coedificamini in habitaculum DEI in Spiritu.* Ubi **APOSTOLUS** mysticum **DEI** templum, quod est **Ecclesia** egregie depingit.

§. 1046.

§. 1046.

Scilicet UNIGENITUS ÆTERNI PATRIS natura humana indutus dedit *semetipsum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret sibi populum acceptabilem, ad TIT. II. 14.* Et DEUS constituit eum ad dexteram suam in caelestibus, super omnem Principatum, & Potestatem, & Virtutem, & Dominacionem, . . & omnia subjecit sub pedibus ejus, & ipsum dedit caput super omnem Ecclesiam, ad Ephes. I. 20, & seq. Neque gratis nobile regnum Ecclesiæ adeptus est, sed eam *aquisivit sanguine suo*, ACTOR. XX. 28. Neque nos CHRISTUM Principem elegimus, sed ipse elegit nos, JOAN. XV. 16, ut adeo novæ legis Ecclesia vere sit regnum *Theocraticum*, seu tale, quod proxime CHRISTUM DEUM pro Capite, & Rege suo adorat.

§. 1047.

Porro divinissimus iste PRINCEPS Imperium hoc suum in tres partes, velut totidem Prævincias divisum gubernat. Et *primam*, amplissimam, & optimam regni sui partem, id est cœli cives, seu *Ecclesiam triumphantem* ipsemet, & coram regit, quam inebriat ubertate domus suæ,

& torrente voluptatis potat. Quibus post feliciter exantlatam pugnam coronatis non tam imperat, ut potius eos in regni sui consortes, & cohæredes adsciscat.

§. 1048.

Alteram, & priori proximam amplissimæ ditionis hujus portionem constituit *Ecclesia purgans*, quæ comprehendit, agmen quoddam generosorum militum, qui ex pugna victores quidem discesserunt; sed quia vulnera aliqua non pugnando, sed non nihil cedendo, & quæ proin non ad gloriam, sed ad dedecus aliquod faciunt, exceperunt, ante felicem cælestis regni aditum, cicatricum harum dolorosam sane medicinam sustinent. Hos quoque per se ipsum, aut certe parte aliqua per Angelos suos regere videtur. Verum

§. 1049.

PRINCEPS iste Pacificus, postquam gravissimum bellum ipse solus sua morte confecit, sedet quidem ad dexteram PATRIS; quia tamen aliquot inimici, qui tanquam scabellum pedibus ejus supponendi, & aliquæ etiam belli reliquæ conficiendæ supersunt: ideo in extrema regni sui parte, seu in *Ecclesia militante* atrox certamen,

men, per suos tamen, sustinet ancipite sane pugna, utpote in qua tot, aut forte multo plures cadunt, quam vincunt. Et, quod conditionem hujus Ecclesiæ gravio- rem reddit, ipse eidem palam, & viden- dus non adest, sed Duces suos sacro huic exercitui præfecit, & quosdam *posuit Epi- scopos regere Ecclesiam DEI, quam acqui- sivit sanguine suo, ACT. XX. **

- Apertam tamen, quam nobis subtrahit, præ- sentiam, compensat occulta aliqua. Nam gra- tia, innumeris auxiliis, infiniti pretii Sacrifi- cio, Sacramentis, illo maxime, quod ab altari vocatur, copiosissime nobiscum est *omnibus die- bus usque ad consummationem sæculi. MATTH. XXVIII. 20.*

§. 1050.

Hæ porro tres Ecclesiæ in diversa adeo conditione constitutæ, eandem tamen summam ac universalissimam ECCLESIAM constituunt, quæ est SPONSA CHRISTI, quamque nimio, tot figuris, & testimoniis in sacris Literis testato amore deperit. Hæ insuper Societates non tantum cum CHRIS- TO capite, sed etiam inter se arctissimo vinculo unitæ sunt; nec solo titulo natu- ralis pietatis, vel universalis caritatis, sed speciali insuper gratiæ, & futuræ gloriæ nexu conjunctæ hærent. Nisi hoc vincu- lum ex phrasi scholastica omnino *Theolo-*

gicum, & vere divinum quis forte dixerit ex eo, quod nos non qualicumque gratia, sed interventu sanguinis sui in tam nobile corpus sociaverit; in quo **SANGUINE novum Testamentum dedicatum fuit**, prout copiose docet **APOSTOL. ad Hebræ. IX, X. vid. §. 202, & seq.**

§. 1051.

Tantam vero unionem, ac vinculum fors etiam divinum tanquam uberrimum fontem, ex quo mutua, eaque plurima inter tres Ecclesias hæc officia oriantur, & amplum debendi titulum existere, nemo non videt. Absit itaque *Imo*, ut Communionem Sanctorum inane commentum aliquid dicamus *. Sed insuper & *II^{do}* exinde discimus, quod nobis insignes, planeque admirandas **SS^{rum}** pugnas, victorias, & triumphos non liceat otiose spectare, prout Romanorum triumphales pompas tranquille legimus: sed oportet eorum virtutem & gloriam magnifice, & ingenti lætitia celebrare, utpote quæ magnam partem res nostræ sunt, eoquod sint eorum felicitas, qui nobis plusquam germani fratres nostri, nobis conjuncti sunt. **

* De hac Communionem **SS^{rum}**, quæ nono symboli apostolici articulo exhibetur, Catechism. **CONCIL. TRIDENT.** docet fere sequentia:

1^{mo} quod fideles de bonis Ecclesiæ communibus participant, utpote quæ e. g. preces suas nomine omnium exsolvit: 2^{do}, quod etiam de privatis cujusque meritis (non quidem ad gratiam sanctificantem proxime augendam) quivis etiam gravi peccato obstrictus, dummodo hujus societatis membrum existat, aliquid obtineat. quale extra Ecclesiam constitutis nihil obtingit. Quare etiam merita SS^{rum} in cœlo existentium, & ob delicta sua in piacularibus illis flammis existentium nos viatores juvant: sicut a nobis pie, justeque gesta illis lætitiâ augment, & hisce pœnas mitigant. Quæ quidem bona opera nostra ad gloriam SANCTI cujusdem, vel ad animæ certæ levamen plus conferunt, si per intentionem agentis fructus ex justa actione redundans definite pro aliquo illorum impendatur. Gratia tamen sanctificantis nec minimam portionem alteri donare, vel offerre possumus.

- “ Sed etiam Beati in cœlo officio huic suo minime deerunt, sed agonem periculosum nostrum amice spectantes, sua nobis suffragia, & in vita sua antehac comparata merita plusquam fraterno affectu, prout poterunt, impendent.

§. 1052.

Ex doctrina §. 1050 tradita subsequitur *III^{tio}*, gravem, & non tantum ex generali caritate communem, sed ex unione Ecclesiæ specialem obligationem nobis imminere, ut animas purgantes, quantum licuerit, orationibus, elemosinis, jejuniis juvemus. Illarum enim gravis conditio, &

calamitas non aliena, sed post tantam conjunctionem propinquissime nostra est *: exemplum præeunte S. MATRE ECCLESIA, quæ nullam pene horam finit, nisi per ipsam DEI misericordiam precetur, ut fidelium animæ tandem in pace requiescant.

* Vicissim illæ vel pro nobis interveniendi suffragium habent: vel certe DEUS illarum Amantissimus ubertim suam misericordiam largitur iis, qui in has maxime egentes ipsimet misericordes fuerint.

§. 1053.

Demum *IV*^{to} facile quivis inferet, amplam in membra singula sacræ Societatis nostræ, amplissimam vero in ipsam hanc, quæ morte CHRISTI coaluit, quæque ancipiti hucusque alea tantum bellum sustinet, militantem societatem qua precibus, qua consiliis, exemplis, & quacunque licuerit ratione, eidem opitulandi obligationem nobis incumbere *. Scilicet quod præcipit APOSTOLUS *ad Ephes. VI. 18,* *per omnem orationem & obsecrationem orantes omni tempore in Spiritu; & in ipso vigilantes in omni instantia, & obsecratione pro omnibus Sanctis.* Quod quidem a se fieri sæpius testatur idem GENTIUM DOCTOR *Epistol. ad Philippens. ad Colossens. ad Thessalonicens. & alibi.*

* Tot

- * Tot animæ periculo peccandi, ipsi peccato, inveterato usui peccandi, ipsam demum, & omnem Religionem dimittendi discrimini implicatæ copiosa sane materia sunt, circa quam ex communi christianæ societatis vinculo nata pietas egregio sese exerceat. Idque eo magis, quod communia, & publica pericula augeri potius, quam minui aperte videantur.

C A P U T II.

De iis vinculis, quibus membra militantis Ecclesiæ in corpus aliquod speciatim colligantur.

- §. 1054. Repudiata *Heterodoxorum* definitione,
 §. 1055. Ecclesia ex mente *Catholicorum* definitur, quod sit *societas hominum in doctrina fidei perpetuo eadem, & participatione Sacramentorum sub legitimis pastoribus, maxime sub Romano Pontifice ad cælestem beatitudinem contendentium.*
 §. 1056. *Sacra vero potestas, qua nobilis ista societas regitur, est genus quoddam gratiæ ad populum christianum juxta fines Evangelii regendum aliquibus concessa. Unde*
 §. 1057. Sequitur *Imo, quod hæc potestas totam naturam superet; & Ido nemini præterquam DEO subdita,*
 §. 1058. *IIIto ad non baptizatos minime pertinens, IVto ad alienam tamen, sed non-regentium utilitatem comparata sit.*
 §. 1059. Infertur item *Vto* populo gravem obsequendi obligationem;
 §. 1060. *VIto* tamen Pastoribus non arbitrariam præcipiendi potestatem competere.

§. 1054.

Deinceps de sola MILITANTE ECCLESIA tractandum nobis est. Et licet hujus

hujus societatis municipes iisdem inter se quoque nexibus adstringantur, quibus cum *Ecclesia Triumphante, & Purgante* fœderati sunt; habent tamen speciales insuper titulos, quibus arctissime cohærent. Inter hos sociales titulos pacifice, & fors paucis refragantibus licet referre doctrinam fidei, & usum Sacramentorum omnibus communem. Unde *Protestantibus* Ecclesia definitur, quod sit *societas hominum in doctrina evangelica, & participatione Sacramentorum coadunata*. Quæ quidem definitio nihil falsi continet, legitimam tamen, ac plenam Ecclesiæ notionem ex sententia Catholicorum non ministrat. *

- * Nam per hanc omnia Ecclesiæ membra æqualia forent: & legitima præcipientium, & obedientium diversitas non exprimitur; & sic Ecclesia, ut simplex æqualium societas, & non ut civitas aliqua, aut regnum tacite adumbratur. In qua proin societate propter sociorum æqualitatem præter jus divinum, nil nisi pacta aut conventiones, neutiquam vero leges, aut præcepta locum haberent: quod quidem a sana fidei doctrina longe alienum est.

§. 1055.

Catholici vero Ecclesiam militantem esse ajunt *societatem hominum in doctrina fidei perpetuo eadem, & participatione Sacramentorum a CHRISTO conditorum*
sub

sub legitimis Pastoribus, maxime sub Romano Pontifice, ad caelestem beatitudinem contendentium. Ut adeo hisce omnes christiani neutiquam æquales, sed in Pastores, ac velut oves divisi esse credantur. *

- * Dogma hoc contra *Protestantes* (sub quorum nomine veniunt Roman. Imper. Membra a catholicis sacris aliena) vindicandum Theologiæ Dogmaticæ relinquimus.

Non originaria, sed priore primum sæculo factis jam adulto apud *Protestantes* invecta doctrina est, qua omnem sacram regendi potestatem negant. Vix poterant explicare, & inter se minime consentientes erant, penes quem extaret jus illud sacrae Potestatis, quod post suam a nobis secessionem persequi sæculum afferebant. Præterea illud eos male habebat, quod hæc sacra jurisdictio, ut alia omnia defuissent, pacifice, & omnium consensu ab *Episcopis* fuerit exercita. Jam sub obtentu abusuum seipsum ex legitime Regentis potestate emancipare etiam ex illorum sententia res ambigui exempli est. Sic enim legum vigore in obedientium arbitrium delato omnis Principatus fere tolleretur. Quare ad *Protestantium* causam longe concinnius faciebat, sacram Potestatem rotunde negare, quam eadem admittâ, in tot difficultates se induere.

§. 1056.

Nos jam solum usum spectantes circa caeleste hoc *sacrae Potestatis* vinculum; quo scilicet in justum corpus velut

construimur, recepto jam more considera-
bimus ejus *naturam*: & exinde ea, quæ
eandem *extrinsecus* concernunt. Sequentem
definitionem ad hujus potestatis *naturam*
explicandam ab omnibus probandam,
imo fors reapse adoptatam esse putave-
rim. *Est scilicet hæc potestas genus quod-*
dam gratiæ ad populum christianum juxta
fines Evangelii regendum aliquibus con-
cessa. *

- * Fines vero Evangelii alii non sunt, quam perfecta Caritas, & plena justitia, non utique naturalis, sed naturam excedens, & cœlesti origine inclita. *Vid. §§. 5, 26, & seq.*

§. 1057.

Ad penitius porro noscendam sacri regiminis indolem ex data definitione juvat paucas consecutiones adscribere. Quarum *I^{ma}* est, quod tanquam *genus gratiæ* omnia *naturalia* jura, & dona plurimum superet. *II^{da}*. Et ob eandem *gratiæ* rationem, tanquam proxime a DEO dependentem, nullique naturali arbitrio obnoxiam potestatem istam, in tóto ambitu *supremam*, & *veram* in genere suo *Majestatem* existere.

§. 1058.

Quia vero *populum christianum* spectat; *III^{tia}* consecutio habetur, quod hæc
juris-

jurisdictio ad nos baptizatos, & sic nondum christianos minime pertineat, & quod talibus virtute illius nihil possit præcipi. Sed eadem definitionis particula *Populum christianum*, *IV^{ta}* consecutione docet, hoc genus gratiæ comparate ad fideles esse *gratum faciens*, attentis vero iis, qui illud obtinent, & gerunt, esse tantum *gratis datum*. Seu aliter, ut phrasin Theologicam explicemus, hoc beneficium gratiæ spectat solam utilitatem, & profectum subditorum, neque ullatenus ad commodum Pastorum est concessum. Imo quantum ad istos est verum, & grave admodum onus, multa contentione (nisi priorum humerorum robore sollicitè æstimato prudens, & solida pietas aliud suadeat) fugiendum. Quare, siquidem non ex cæco, & improbo sensu, sed ex vera ratione negotium æstimare velimus, in eos, quos in Ecclesiæ Rectores eligimus, non beneficium conferimus, & iidem a nobis non tantum ob eminentem sacre potestatis dignitatem, sed vel maxime ob gravissimum negotium, & propriæ salutis periculum, quod amore nostri adeunt, omnibus officiis prosequendi sunt. *

- Quam quidem observantiam non adeo severe poterunt exigere, qui sinistris quibusdam exemplis in errorem inducti ex proprio amore, & profano utilitatis suæ studio sacris se ingerunt,

runt, naturalem sensum, non gregem pascentes, & inverso ordine se, & non Populum christianum pro fine sibi commissæ potestatis designantes. Sed de his agendo de Simonia tractavi.

§. 1059.

Quia vero hæc gratia est concessa ad *regendum*, facile inducitur *Vto*, dari in populo christiano gravem *obligationem* sacræ Potestati *obsequendi*, & maximopere eandem reverendi; esseque *genus* quoddam *sacrilegii*, si eandem quis parum curat, vel omnino tãcite contemnit. Per hoc enim non qualecunque jus, sed jus valde altum, & ipsa *gratia* violatur, & ipsius **AUCTOR** gravissime offenditur. *

- Si enim gratia adeo delicata est, ut citra crimen sacrilegii cum aliquo bono naturali etiam eminente se componi haud patiatur, §. 416. & seq. quanto majus nefas erit, si illa agente affectu contemnatur? Quare *obedite Præpositis vestris, & subjacete eis. Ipsi enim pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddaturi, ut cum gaudio hoc faciant, & non gementes: hoc enim non expedit vobis. Ad Hebræ. XIII. 17.*

§. 1060.

Cum autem non ad qualecunque regimen, sed ad *regendum juxta fines Evangelii* hæc potestas est concessa; cumque ad eundem finem duo contradicentia,
imo

imo duo contraria in fisdem circumstantiis non possint facere *: ideo *VI^{ta}*, & gravis admodum consecutio statuitur, scilicet non esse in arbitrio legislatoris legem ferre, vel non ferre; eandem conservare, aut abolere &c. Quin potius tenetur semper id constituere, quod omnibus attentis ad fines Evangelii, & caritatis præ contrario propinquius conducere videbitur. Suam enim potestatem exercens non utitur jure suo, aut certe non suam tractat causam, cum totum negotium ad alienos progressus comparatum sit: usurpationis reus erit, si contra majus bonum aliquid statuatur, si leges condatur, quarum utilitas ea, quam continent, molestia minor est, si sua, aut privata aliorum, & maxime si profana comoda pro fine rectionis suæ defigat. **

* Vid. §. 56, & 57. Scilicet est impossibile, ut diversæ, aut omnino in contrarium ductæ lineæ ad idem punctum desinant: neque cogitari potest; quod ad finem ultimum, qui utique simplicissimus est, in iisdem circumstantiis actus, & non actus æque conducant. Et demus etiam, *negationem actionis* ea ipsa ratione, qua *ipsa actio* ad finem caritatis esse utilem; in hoc tamen casu rursus lex pro arbitrio non poterit ferri: nam esset otiosa, nullamque præstaret utilitatem; data sane hac hypothese perinde esset aliquem actum fieri, vel non fieri. Quod si vero officia imperfecta dari, & ex duobus contrariis utrumque bonum, alterum tamen melius esse velis: rursus

Pars III. Th. Mor. P *sus*

fus Legislatori non erit integrum, minus bonum præ majori præcipere: lic enim lex majus bonum impediendo evaderet noxia, effetque melius eandem non existere, quam existere. Certum autem est potestatem omnem ad ædificationem, & non ad destructionem esse datam. *II. Corinth. X. 8, & XIII. 10.*

- ** Equidem multæ fors extiterint leges plus damni, quam emolumenti continentes; tanta insuper earum est copia, ut fere modum excedant. Scilicet in præcipiendo requiritur egregia sobrietas. Præterea reliquarum, & maxime necessariorum constitutionum efficaciam, & Auctoritati ex copia legum multum detrahitur. Etiam tonitrua ab assuetudine nobis vilesunt: & mens humana multum horroris, quem percipere deberet ex violatione legum, necessario perdit, si eæ perpetuo, & ubique occurrant. *Vid. §. 1095.*

Per hoc tamen ab obligatione Præceptorum subditus non eximitur, etsi melius videatur, hanc legem non existere. Nam eo ipso talis actus melior efficitur, quod præceptus sit, scilicet publicæ utilitatis gratia. Si enim integrum foret contra statutum aliquod agere, quod aliquibus melius fuisse videatur, talem constitutionem nunquam fuisse editam; omnis mox præcipiendi vis langueret, cunctæque leges fere in arbitrium obedientium collatæ vacillarent. Iniquæ possunt esse tales leges, & gravem desuper rationem Legislator DEO tamen, & non subditis reddere tenetur. *Vid. etiam §. 1196.*

CA.

CAPUT III.

De iis, qui Ecclesiæ præsumt.

- §. 1061. Post ipsam sacram Potestatem illi, quibus ea convenit, scilicet *Rectores Ecclesiæ* considerandi veniunt.
- §. 1062. Quales *ope sacri muneris*, seu beneficii, prout vocamus, efficiuntur. Consuetæ beneficii definitioni,
- §. 1063. Ad nostrum negotium *mirus probatæ*
- §. 1064. Substituitur sequens: *Sacrum munus*, seu beneficium, *est potestas divinitus ad alienam salutem perpetuo instituta, & diversa ratione, diversis communicata.* Ex quibus
- §. 1065. Intelligitur *Imo*, tam potestatem *jurisdictionis*, quam *ordinis celestem* habere originem: eamque
- §. 1066. *II*do Ad *utilitatem Ecclesiæ*,
- §. 1067. *III*tio *Divinitus* quidem constitutam, sed *humano arbitrio* dispensatam existere.
- §. 1068. Denique patet *IV*to, de ipsa hac distributione sacræ potestatis *necessariam regulam* statui non posse.

§. 1061.

Postquam *naturam* sacræ potestatis, qua tanquam firmissimo vinculo Ecclesiæ membra in justum corpus construuntur, explicavi, aut delibavi potius: jam ea, quæ hanc gratiæ classem *extrinsecus* concernunt, superficiaria opera attingere oportet,

§. 1056. Sunt autem *RECTORES*, & Ecclesiæ *DUCES*, qui hanc potestatem gerunt.

§. 1062.

Rectores Ecclesiæ efficiuntur per aliquod *sacrum munus*, seu officium ipsis imposi-

positum, & per *beneficium ecclesiasticum*, quod vocamus; & quod dein varias beneficiorum species, atque ipsum Episcopatum, aut summum fors etiam Pontificatum, & sic totam hierarchiam ecclesiasticam, & omnes ordines sacrorum Regentium sub se continet. Solemus autem beneficium ecclesiasticum generatim definire, quod sit *jus perpetuum percipiendi fructus ex bonis ecclesiasticis, propter aliquod officium spirituale Persona ecclesiastica auctoritate Ecclesie constitutum.*

§. 1063.

Atque beneficia ecclesiastica sub hoc respectu considerata S^æ Jurisprudentiæ consideranda relinquimus, illam tamen ipsam beneficii ecclesiastici definitionem §. 1062, non nihil accusare liceat. Videtur enim non sat feliciter scripta esse ex eo, quod *jus percipiendi profanos Ecclesia fructus in recto* statuatur, & sacra officia in *obliquo* collocans fere ad conditionem sine qua non, & ad negotia secundaria rejiciat. Sic enim jus percipiendi naturalia emolumenta primo loco se menti objicit, primum locum occupat, estque in præsentia causa præcipuum: horret autem mens, quod omnis sacra potestas, munera sanctissima, vel etiam divinitus concessa sub jure
per-

percipiendi profanos redditus tanquam species sub suo genere comprehendantur. Vel si ista accusatio minus modesta alicui videatur: nobis tamen primo loco donum supernaturale, seu gratiam, quæ sola ad forum nostrum pertinet, consideranda est.

§. 1064.

Primo itaque loco sacra quædam facultas, & ejus gestio intelligi debet, & caput negotii nostri absolvit; ad quam dein necessaria quidem, naturali, & divinitus insuper approbata æquitate consequitur dignitas, & jus propter grave adeo officium honoris, & aliarum utilitatum tributum accipiendi. Unde quodvis *sacrum munus*, seu si ita vis, *beneficium ecclesiasticum est Potestas divinitus ad alienam salutem perpetuo instituta, & diversa ratione diversis per divinum, aut humanum arbitrium communicata.* *

* Ad consuetas interrogationes in examinibus semper definitio vulgaris ex §o 1062 afferenda est: qui enim antiqua penitus imbiberunt, nova, et si fors veriora non volunt admittere. Hanc tamen meam ad rationes Theologicas, & ad hierarchiam ecclesiasticam ex institutione divina penitus intelligendam fors non mihi magis accommodatam fore censeo.

§. 1065.

Ex qua definitione apparet *Imo*, tam potestatem *ordinis*, quam *jurisdictionis* divinitus, & a CHRISTO fuisse institutam: ut Hierarchia ecclesiastica, & ordines, ac diversi gradus inter christianos in nova lege obtinentes non ad arbitrium humanum, sed ad voluntatem CHRISTI originem suam referant. Qui quidem DIVINUS Ecclesie CONDITOR per hoc ipsum se legislatorem, & gratie Auctorem maxime probavit. Reliquae enim leges divinae Sacrificium, & Sacramenta concernentes in recentiori foedere paucissimae sunt, prout alibi jam dixi, paritatem in ferendis legibus ex hoc divino exemplo commendans.

§. 1066.

Quia vero tota haec potestas *ad alienam*, & reapse publicam *salutem* est instituta, ideo docetur *II^{do}*, hanc potestatem non ad utilitatem Regentium, sed in commodum Ecclesie esse comparatam §. 1058. Licet etiam circa hoc jus ii, qui illud continent, omnino injuriam possint pati, e. g. si inique sacra jurisdictione exuantur, in ea exercenda impediuntur &c. Sicut Ministri, aut Legati Reipublicae, etsi nihil proprii juris habeant, injuria affici
pos-

possunt, quæ dein magis in ipsam rempublicam redundat. Sic etiam contumelia, aut quæcunque iniquitas in Rectores Ecclesiæ commissa ipsi CHRISTO potissimum irrogatur juxta illud: *Qui vos spernit, me spernit, qui autem me spernit, spernit eum, qui misit me.* LUC. X. 16. *

- * Disputant politici, an Princeps sit propter populum, vel populus propter Principem. Jam quantum ad sacram Civitatem responso est facilis. Si quæretur de capite Ecclesiæ divino, abs dubio Populus christianus est propter CHRISTUM, qui post DEUM est FINIS TOTIUS UNIVERSI, & maxime Ecclesiæ. Omnis gratia, & sic totius Ecclesiæ compages est remuneratio mortis CHRISTI: *Pro eo, quod laboravit anima ejus, videbit, & saturabitur; in scientia sua justificabit ipse Justus servus meus multos: ideo disperdiam ei plurimos, & fortium dividet spolia pro eo, quod tradidit in mortem animam, ISAI. LIII. 11, 12.* Clarius idem dicit APOSTOL. I. Corinth. III. 22, & 23. *Omnia vestra sunt: vos autem CHRISTI: CHRISTUS autem DEI.* Si vero de sacris Rectoribus mere humanis, licet summis quæstio moveatur; hi plane propter populum sunt, eosque habere debemus, ut *Ministros CHRISTI, & Dispensatores Mysteriorum DEI.* Hic jam quæritur inter Dispensatores, ut fidelis quis inveniatur I. Corinth. IV. 1, & 2. Frustra vero in eorum fidelitatem inquireretur, si non nisi propriam causam tractarent.

§. 1067.

Ex eadem definitione §. 1064 eruitur *III^{to}*, omnem sacram potestatem *divinitus institutam*, tanquam merum opus gratiæ à CHRISTO Auctore gratiæ effectam esse: licet per longam, & multiplicem commissionem, & *delegationem* per arbitrium humanum ad infimum aliquem delata sit. Per hoc enim *concessio* doni humana est, ipsum *donum* semper Divinum, aut coeleste manet: neque varia distributione, aut commutatione e. g. aurum naturam, aut conditionem suam mutat.

§. 1068.

Quia demum hæc sacra facultas *diversa ratione diversis per divinum, aut humanum arbitrium* communicatur; ideo intelligitur *IV^{to}*, hanc communicationem ex libertate concedentium ortam non consecutione aliqua, sed mera relatione disci posse. Et quidem totius systematis prout modo Divina, vel humana ordinatione obtinet, summas duntaxat lineas, & sic rudem typum ministro.

CA.

CAPUT IV.

De variis Ordinibus eorum, qui Ecclesiæ præfunt, eorumque obligationibus prævie ad suscipienda sacra munera requisitis.

- §. 1069. Hic de potestate jurisdictionis, seu de ipsis sacris muneribus agitur.
- §. 1070. Quæ secundum se considerata vel duplicia,
- §. 1071. vel simplicia sunt.
- §. 1072. Conditions in sacrorum munerum Candidatis vel simpliciter, vel comparate ad alios aspirantes desiderantur.
- §. 1073. Et primo quidem priores,
- §. 1074. Mox ex posterioribus recensetur prima,
- §. 1075. Quæ est de eligendo digniore, id est, magis utili, quoad beneficia curata; &
- §. 1076. Probabilius etiam quoad simplicia.
- §. 1077. Ut quis abs peccato sacrum munus obtineat requiritur secunda conditio, seu intentio status clericalis.

§. 1069.

Atque hic imprimis discernere oportet eos gradus, qui ratione *Ordinum sacrorum*, & eos, qui ex *jurisdictione, aliisque sacris juribus* cuique competunt. De gradibus sacrorum Ordinum, & de potestate inde nata jam actum fuit a §° 849, & deinceps: quare hic de aliis sacris facultatibus tractandum, quæ ad genus gratiæ, non tamen ad Sacramentum Ordinis spectant, & quæ fere sacra munera, seu beneficia constituunt.

§. 1070.

Hæc jam *beneficia*, seu sacri Magistratus considerari possunt vel *in se*, vel secundum *modum*, quo *acquiruntur*. *In se* munera ista spectata considerandam offerunt in primis *naturam* suam, tum vero seu proprietates, seu *effectus* suos. Quantum ex natura sua sunt vel *duplicia*, vel *simplicia*. *Duplicia* sunt, quibus *cura animarum* imminet, vel quæ *precedentiam* *, vel saltem *speciale* aliquod *officium* habent; & rursus in *majora*, *media*, & *minora* dividuntur. Majora sunt omnia a summo Pontificatu, usque ad Episcopatum, prout colligitur *ex c. 17. de præbend.* Media sunt dignitates, quæ præcedentiam cum jurisdictione obtinent e. g. *Archidiaconatus*, quibus consuetudo alia quædam eminentiora beneficia, seu munera accenset e. g. *Archipresbyteratum*, *Præposituram*. Minora, sed duplicia tamen sunt omnia curam animarum imponentia e. g. *Parochia* &c. item omnes personatus, & officia, id est, quæ vel præcedentiam, vel saltem speciale officium e. g. scholastici, custodis absque tamen jurisdictione habent.

* *Præcedentiam* habere ii dicuntur, qui aliquem principatum, & digniorem locum in aliquo Collegio e. g. Canonorum Cathedralium obtinent præ aliis sibi alias æqualibus.

§. 1071.

§. 1071.

Beneficia *simplicia* §. 1070 nec curam animarum, nec administrationem, nec præcedentiam, sed solam obligationem Divina peragendi e. g. canendi in choro, vel quædam Sacrificia applicandi continent. C. 16, & c. 27. de præbend. *

- * An etiam ista aliquid sacri afferant, alibi jam delibavi. Si enim a sacra Potestate constituantur, & sic ejus velut effectus sunt; aliquid sacri necessario complecti debent, ex sacro enim non nisi sacrum haberi, & oriri potest. Scilicet deinceps officia sacra, e. g. Sacrificium, cantum, horas canonicas &c, etsi hæc obeundi potestas alias alicui competat, ex speciali jure, & auctoritate ab Ecclesia sibi vi beneficii concessa talis prosequetur.

§. 1072.

Post naturam sacrorum munerum, eorum *effectus*, vel si mavis, *proprietates* consideremus §. 1070. Hæ vero proprietates sunt *obligationes*, & *jura* ad certa commoda capienda. *Obligations* vero aliquæ *ante*, & prævie ad sacra munera, seu beneficia dantur; vel etiam & magis insuper premunt Sacerdotem seu Clericum, *postquam* ea jam obtinuit. *Obligations* ante, & prævie requisitæ nihil aliud sunt, quam *conditiones* in candidatis sacrorum mune-

munerum requisitæ. Quarum aliquæ necessario & semper requiruntur, ita ut alias beneficium ne quidem possit obtineri: aliæ vero non nisi in concursu aliorum Candidatorum sunt necessariæ, sed ita duntaxat, ut sine his qualitatibus beneficii obtentio tantum prohibita, non tamen irrita futura sit.

§. 1073.

Conditiones prioris classis, seu tales, sine quibus beneficia ne quidem *possunt* obtineri, recensentur sequentes, quarum *I^{ma}* est legitima natiuitas *vid. §. 907, & seq.* *II^{da}* Status clericalis, id est, ut saltem prima tonsura initiatus sit ante beneficii adeptionem *c. 6. de transact.* * *III^{ta}* Ætas legitima ** *IV^{ta}* coelibatus: matrimonio juncti incapaces sunt beneficiorum *c. 1. de Cleric. conjug.* *V^{ta}* libertas a censura & irregularitate *c. 7. de Cleric. excommunic. e. 8. de consuetud. & c. 1. de postulat. Prelator.* *VI^{ta}* absentia beneficii incompatibilis. ***

* Ad aliqua beneficia etiam certi Ordines requiruntur, aut certe, ut intra designatum tempus quis tali ordine se insigniri faciat. Sic Parochiam adeptus saltem intra spatium primi anni Sacerdotio initiari debet, TRIDENT. *Seff. VII. cap. III.*

** Ad

•• Ad Episcopatum 30 anni *c. 7. de election.* Ad beneficia curam animarum inferentia 25 an. *c. 7. de elect. in 6.* Demum ad beneficia simplicia exigit TRIDENT. *Seff. XXIII. & VI.* decimum quartum ætatis annum saltem inchoatum. Licet consuetudo plurium locorum legi huic derogaverit.

••• Ubi notandum, quemlibet plerumque non nisi unicum beneficium habere posse: adeo ut quamprimum talis alterum beneficium vere adeptus sit, illudque possideat, & ita possideat, ut etiam secundi beneficii fructus percipiat *c. 17 de præbend. in 6*: prius beneficium ipso jure vacet. TRIDENT. *Seff. VII. c. IV.* -- Sunt tamen aliqua beneficia ab hac regula etiam nostra ætate immunia. Sic de jure sunt *compatibilia* duo simplicia, vel unum *simplex*, & alterum *curatum*, si neutrum ad honestam sustentationem illius clerici sufficiat, & alterutrum *personalem residentiam* non requirat. TRIDENTIN. *Seff. XXIV. c. XV, & XVI.* Item, si ob tenuitatem reddituum ab Episcopo duo beneficia perpetuo sint unita: sic enim non nisi unicum reapse beneficium tenetur. TRIDENT. *Seff. XXI. c. V.* Denique circa pluralitatem beneficiorum habentur frequentes dispensationes Pontificiæ. Circa quas obtinendas præcipue in causa beneficiorum curatorum ingentem sollicitudinem D. D. nobis injiciunt.

§. 1074.

Aliæ qualitates requiruntur in sacrorum Candidatis, sine quibus beneficia, & sacra munera aquiri equidem simpliciter, sed *non absque peccato* possunt. Quarum
pri-

prima, & notatu maxime necessaria est, ut adspirans non tantum dignus, & per conditiones §. 1073 recensitas capax, sed comparate ad alios adspirantes dignissimus, id est, Ecclesiæ maxime utilis existat. Sola enim salus animarum, & *vera* emolumenta Ecclesiæ in hanc dignitatem computantur: prout habet TRIDENT. *Sess. XXIV. cap. I.* Adeo ut generatim nec sacra in Ecclesiam merita talem Sacerdotem præ alio utiliore commendare deberent. Sacra enim munera divinitus instituta §. 1067, & ad solam alienam salutem comparata §. 1058*, pro mercede laborum adhiberi non debent.

- * Neque hic *sola* probitas vitæ, licet inter reliquas dotes etiam ad sacra officia primum locum teneat; neque *sola* scientia; neque *sola* in cura animarum exercitatio, & hujusmodi; sed omnia simul pensanda sunt. Et insuper detrimenta, quæ timentur, expendi debent. Sic Vir præstantissimus abs ulla sua culpa propter injurias temporum Ecclesiæ posset esse noxius; e. g. pervicax plebs eundem multum, etsi inique abhorreat. Unde vir incomparabilis S. GREGORIUS NAZIAN. Patriarchatu Constantinopol. gloriose se abdicavit pacis causa, illis verbis usus: *Ejicite me, ut vos quasi sari destinatis.*

§. 1075.

Atque de obligatione eligendi digniorem* admodum comperta, ac consentiens doctrina habetur quantum ad *beneficia curata*

rata præcipue, argumento ducto ex verbis CONCILII TRIDENTINI, quod forte circa nullum disciplinæ caput, quam circa præsens tantopere exardescit, quodque *Sess. XXIV. cap. I.* inter alia etiam sequentia habet: *Meminerint, nihil se ad DEI gloriam, & populorum salutem utilius posse facere, quam si bonos Pastores . . . promoveri studeant, eosque alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, nisi quos digniores & Ecclesie magis utiles ipsi judicaverint, non quidem PRECIBUS, VEL HUMANO AFFECTU, aut ambientium suggestionibus . . . præfici diligenter curaverint.* Demum ad finem ipsum SUMMUM PONTIFICEM circa legendos Cardinales, & singularum Ecclesiarum Pastores gravissime interpellat idem CONCIL. concludens denique: *Idque eo magis, quod ovium CHRISTI sanguinem, quæ ex malo negligentium Pastorum regimine peribunt, Dominus noster JESUS CHRISTUS de manibus ejus sit requisiturus**.* Cumque verba adeo clara aliqui in diversum sensum vellent detorquere, temerariam eorum vocem INNOCENT. XI. propositionem 47^{am} dam-nando interclusit.

* Licet hæc obligatio eligentes, conferentes &c. proxime afficiat; attamen etiam aspirantes re-apse afficit. Scilicet ne per profana admini-
cula

cula e. g. Episcopum ad conferendam Parochiam permovere satagant, qui alias fors sat religiosus, & justus extitisset, & solam Ecclesiam, & animarum salutem in præficiendo Parocho spectasset. Imo simpliciter desiderare, ut quis aliis quibuscunque præferatur, minus religiosum est: curam animarum non debet quis ambire, nisi in eum casum, si contingat, se Episcopo, aut illi, penes quem optandi jus est, Ecclesiæ utiliolem videri.

Per ista tamen minime improbare velim libellos supplices, quibus pro obtinendo sacro munere, seu beneficio solent instare. Licet enim ORIGENES de sua ætate testetur, nullum ex more Ecclesiarum ad sacra officia admitti, qui ipsemet petierit: ex nostro tamen usu vult, & tacite vocat Ecclesia, & DEUS ipse idoneos Sacerdotes, ut talia a Prælatibus Ecclesiæ petant. Ut adeo ejusmodi preces reipsa nihil aliud sint, quam sui ipsius ad gravem militiam ex DEI, & animarum amore facta oblatio: mentes enim justæ, & negotii naturam probe intelligentes hac sua obsecratione non nisi aliena & publica, neutiquam vero sua commoda quærunt.

** Sed etiam præter auctoritatem certa ratio suffragatur. Si enim sacra munera dispensans nil nisi sacros fines spectat; hi ipsi eundem ad legendum Virum præ reliquis utilissimum inducent: si vero minus utilem optet, certe latebit ratio naturalis; & propter fines naturales sacra & cœlestia largiri sacrilegum esse jam supra agens de Simonia §. 422 me evicisse puto. Quam grave autem tam in petente, quam concedente sit *sacris*, & insuper *publicis* Ecclesiæ dispendiis *profana*, eaque *privata* tantum commoda venari, quivis facile æstima-

æstimabit: dum quandoque plus quam mille animæ pro optimo Pastore, quem providum NUMEN egregiis tum gratiæ, tum naturæ dotibus ad plurimorum progressus destinato exornavit, mediocrem hominem, verumque mercenarium in negotio salutis æternæ Ducem habere coguntur.

§. 1076.

Verum eadem de optando digniore, & Ecclesiæ magis utili obligatio etiam quantum ad *beneficia simplicia*, seu curæ animarum non destinata (prout verior habet sententia) stringere videtur. Idque omnes asserere coguntur, qui hujusmodi beneficia pro jure, aut re vere sacra habent §. 1071 *, ne scilicet etiam hic dici debeant, quæ §. 1075 ** commemoravi. Præterea quaecumque officium ex tali beneficio alicui immineat, Ecclesiæ semper utilius est, optimum ex reliquis huic muneri admoveri. Sic a Viro intemerato oblatum Sacrificium, vel precum Canoniarum penſum exſolutum Ecclesiæ, & beneficii conditoribus plus prodest, quam si a frigido quopiam ejusmodi officia obeantur. Sed utique in eo Episcopus negotium Ecclesiæ optime geret, si mediocribus beneficia simplicia conferat, viros insignes inter reliquos supplicantes ad curam animarum reservans.

Pars III. Th. Mor.

Q

§. 1077.

§. 1077.

Altera obligatio prævie ad beneficium *licite*, id est, absque peccato obtinendum est *intentio statum clericalem perpetuo tenendi*. Quare improbum foret beneficium ea mente tenere, ut ejus sumtibus studiis vacare, & iis finitis vitæ genus profanum, seu sæculare amplecti quis possit. Verum quantum ad beneficium eadem circa hanc intentionem tenenda sunt, quæ de intentione ad sacros Ordines §. 885 dicebam.

C A P U T V.

De obligationibus eorum, qui sacra Munera, seu beneficia obtinent.

- §. 1078. Sacra munera adeptis incumbunt variaz *obligationes*: atque inter alias *generales*
- §. 1079. Est obligatio *superfluos redditus* in pias causas expendendi: de cujus obligationis
- §. 1080. *Titulo, & natura* tres obtinent sententiæ.
- §. 1081. Inter *superflua* tamen computanda non sunt ea emolumenta, quæ ex *singulari officio* percipiuntur. Honestam sustentationem etiam viri alias jam divites possunt percipere.
- §. 1082. *Specialis obligatio residendi* imminet beneficiis *curatis*,
- §. 1083. Aliquibus tamen *libertatibus* prædita.
- §. 1084. Referuntur *alia officia*, quæ curæ animarum *specialia* sunt.

§. 1078.

Sacerdotum, aliorumque Virorum ecclesiasticorum obligationes novæ, & ab huc.

hucusque recensitis diversæ sunt, quæ illis *sacros Magistratus jam adeptis* incumbunt §. 1072; & quarum aliquæ omnibus beneficiis sunt *communes*, aliquæ vero quibusdam *speciales*. Inter priores est obligatio dicendi horas canonicas §. 487. Item obligatio residendi in loco beneficii c. 1. & *seq. de Cleric. non resident* *. Ac denique quilibet debet ea exequi, quæ in *litteris foundationis*, id est, per leges a beneficii conditore latas indicuntur.

* Generali tamen consuetudine officia beneficiorum simplicium per substitutos expleri possunt: licet fors aliud de jure scripto obtineat.

§. 1079.

Generalis quoque omnium beneficia obtinentium obligatio est, ut eam reddituum partem, quæ honestæ sustentationi superest, in pias causas * erogent, utique peccaturi, si ad profanos fines superflua hæc impendant.

* Nomine piarum causarum venit religio, & misericordia in pauperes; non item aliæ virtutes e. g. justitia, pietas in cognatos, etsi ista officia explere ad virtutem spectet. Sic non potest Sacerdos superfluos beneficii redditus suis creditoribus solvere, vel iis parentes suos, nisi indigeant, honorare.

Q 2

§. 1080.

§. 1080.

Circa præsentem causam, id est, circa obligationem superfluos beneficiorum redditus in pias causas erogandi, tres nostra ætate controversiæ habentur, quas ego commemorare, neutiquam vero ventilare velim. Quarum *prima* est, ex quam virtute superflui beneficiorum proventus in pias causas erogari debeant: aliis religionem, aliis caritatem in egenos, aliis justitiam assignantibus. *

- * Magna rationum, & eruditionis contentione in diversas partes disputatum fuit. Ego vehementer suspicor, titulum justitiæ subesse: si enim in originariam legem (reliquorum enim temporum constitutiones nihil novi condiderunt, sed tantum antiqua confirmarunt) indagemus, certam equidem, ac omnino primam non poterimus invenire, ea tamen illis temporibus vicina decreta, & PATRUM testimonia habentur, quæ plane justitiam sonare constanter videntur.

§. 1081.

Altera est, an Sacerdotes in redditus superfluos ea tantum computare debeant, quæ ex beneficiis, seu bonis Ecclesiæ stabilibus percipiunt; vel an insuper alia, quæ pro officiis sacris quidem, non tamen fixo titulo, sed fortuito, & ex contingente eventu percipiunt. E. g. si quis ali-

alicubi concionem habeat, & pro ea stipendium aliquod recipiat*. *Tertia* vero in eo versatur, an Sacerdotes alias divites, & abundantes nihilominus ex bonis Ecclesiæ sustentationem capere possint.**

* Verum ista in censum Bonorum ecclesiasticorum non venire usus habet, & usus saltem in nostris plagis legitimus. Idem mea opinione de iis, quæ Sacerdos ex honesta, & competente alias sustentatione parcus vivendo sibi servat.

** Nam quis militat suis stipendiis? *I. Corinth. IX. 7.* Titulus etiam pro sacris laboribus recipiendi mercedem non est egestas laborantis, sed dignitas laboris, alias stipens foret, non stipendium. Hunc titulum jus naturæ, & divinum probant: *Dignus est enim operarius mercede sua LUC. X. 7.* Unde Canonum, vel veterum testimoniorum momenta, siquæ habentur, ad disciplinæ humanæ capita pertinent, ac proinjure altiore approbante, per usum contrarium facile sublata fuerunt. Sane Pastores hi maximo honore, & copiosissimis præmiis digni sunt: nam laborem, ut puto, gravissimum sustinent, bobus tritulantibus propterea ab ipso SPIRITU S. comparati *I. ad Corinth. IX. 9.* & simul operam nobis pretiosissimam locant, ut semper interrogare iis liceat: *Si nos vobis spiritualia seminavimus, magnum est, si nos carnalia vestra metamus? I. ad Cor. IX. 11.* Hoc officium sane magni momenti est: nam eorum munus est, quod dixi, sane gravissimum. Omnibus, & singulis invigilare, omnium calamitates & pericula sua facere, denique tot æternitates curare, quot animas sibi subditas quis

habet tale opus, ac pene ærumna est, quæ naturalibus commodis omnino omnibus remunerari meretur. Quod utique de iis intelligendum, qui *forma gregis facti* tantum munus implere vere satagunt; non vero de illis, qui præter pastoritii muneris titulum vix aliquid habent: nam condignam mercedem non juri, aut obligationi laborandi, sed ipsi labori constitutam esse crediderim.

§. 1082.

Specialis, & quidem jure divino obtinens obligatio premit beneficia curæ animarum obnoxia; ex quibus Sacerdotes *residere*, id est, curam animarum propria industria exercere tenentur*. *Cum mandato Divino præceptum sit omnibus, quibus cura animarum commissa est, oves suas agnoscere &c, quæ omnia nequaquam ab eis præstari, & impleri possunt qui gregi suo non invigilant, neque assistunt. sed mercenariorum more deserunt.* TRIDENT. Sess. XXIII. cap. I. Ubi etiam inter alias pœnas in non residentes statuitur, ut pro rata absentiæ fructus non faciant suos, sed eos utpote rem alienam, mox & ante omnem sententiam in usus pios erogare teneantur.

* Ubi graves Doctores volunt Parochum teneri, ad præcipua, & pleraque muneris sui officia seipso, ac proprio labore obeunda. Ad quid enim sterilis, & otiosa præsentia? Homini,

mini, non simulacro, publica cura commissa est. Verum si recte sentio, hæc doctrina explicari debet: tenetur scilicet Pastor ad eos labores, ad quos sufficit, & quos æque bonos a se, ac ab aliis fore prævidet; quos vero a Sacerdote quodam socio feliciter absolvendos esse prævidet, ad illos non tenetur. Utique munus pastorale ad impediendum majus bonum non fuerit institutum? Id tamen negotium sibi soli sumere, nullique alteri committere debet, ut omnibus, & maxime laborum suorum sociis invigilet: hoc ipsi proprium esse debet: *in hoc industria Personæ electa est.*

S. 1083.

Verum hæc *residendi* obligatio non adeo arcta est, ut non habeat aliquam relaxationem etiam in jure scriptam. Scilicet ex CONCIL. TRIDENT. *Sess. XXIII. cap. I. Inprimis* Episcopus potest extra tempus Adventus, & Quadragesimæ, ac solemniora festa *per duos, aut ad summum per tres menses* sive continuos, sive interruptos, etiam abs speciali licentia abesse. *Secundo* Canonici Ecclesiarum *Cathedralium, & Collegiatarum* rursus per tres menses abesse possunt, nisi aliud consuetudo habeat. TRIDENT. *Sess. XXIV. cap. XII.* Tot utique simul abesse non possunt, ut publica officia rite expleri non queant. *Tertio* Parochis quoque duorum mensium absentia conceditur: ita tamen, ut idoneus

interea Vicarius constituatur ; ut ab Episcopo licentiam gratis quidem, sed scriptis obtineant ; ut denique si ultra duos menses abesse velit, gravis accedat ratio. *

- Et ita TRIDENT. *Sess. XXIII. cap. I.* Id solum legitima alicubi consuetudo mutavit, ut Parochi suis duobus mensibus absque speciali licentia Episcopi utantur, etsi verba Concilii aliud habere, & petere videantur.

§. 1084

Alias insuper speciales obligationes Sacerdotibus curam animarum sustinentibus constituit, seu potius declarat eadem S. SYNODUS, eadem *Sess. & capite* ita docens: *Cum præcepto Divino mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere, pro his Sacrificium offerre, Verbique divini prædicatione, Sacramentorum administratione, ac bonorum omnium operum exemplo pascere, pauperum, aliarumque miserabilium Personarum curam paternam gerere.* *

- Ubi illud maxime advertendum, & non nihil mirandum, quod pietas sacri Pastoris se etiam ad officia naturalia extendat, cum tamen titulus hujus debiti sit mera gratia. Sed CONCILIORUM UNIVERSALIUM sanctiones, & minorum Synodorum Canones, SS. PP. exempla, & testimonia id evincere videntur. *Vide S. ISIDOR. libr. 2. offic. c. 5.*

CA-

CAPUT VI.

*De naturalibus emolumentis, quæ
sacrorum Ministri vi muneris capiunt,
maxime quæ ad honorem spe-
ctant.*

- §. 1085. Inter alia emolumenta sacrorum Ministris debita in primis venit *tributum honoris*.
- §. 1086. Ad quod utcumque refertur *jus assyli*. Ex cujus definitione
- §. 1087. Eruitur *Imo*, quod illud ab heterodoxis *male accusetur*. Idem tamen
- §. 1088. *Ido a sola S. Potestate institui non potuisse; illudque*
- §. 1089. *IIIto ad Religionem, vel forte magis ad Caritatem spectare.*
- §. 1090. *IVto Inferuntur hujus juris effectus diversi.*
- §. 1091. Porro assyli favores vel sunt *ordinarii*,
- §. 1092. Vel ad *reparandum hoc jus comparati*, si forte læsum sit: quorsum etiam
- §. 1093. Certæ quædam *pœnæ spectant.*
- §. 1094. Ubi de iis, quibus hoc jus *dubie*; & mox
- §. 1095. De aliis, qui ab eodem certo exclusi sunt, agitur;
- §. 1096. Et *crimina ab assylo excludentia*;
- §. 1097. Ac demum *loca, quæ hoc privilegio gaudent, referuntur.*

§. 1085.

Sacra officia compensationem etiam naturalem mereri ex SS. LITERIS, & aliunde certum est §. 1081. Unde pro eis bona *honoris*, & *fortune* pendi est æquissimum. Atque æquitas ista est altera proprietas, quæ sacris Muneribus competit §. 1072. Et quidem quanto honorum cumulo Christianorum pietas sacrorum suorum

Ministros ditaverit, dici vix potest. Hæc ingentium eos ditionum Dominos, maximorum Regnorum, atque Imperiorum primos Magistratus, ac ipsis pene Regibus æquales esse, non raro arbitrium pacis, & denique quævis summa habere fecit. Id quod ISAIAS est vaticinatus de illis Sacerdotibus DOMINI, quibuscum *fædus perpetuum*, id est, novi Testamenti feriet, *cap. LXI. 6, & 8. Vos autem Sacerdotes DOMINI vocabimini, Ministri DEI nostri; dicetur vobis: fortitudinem gentium comedetis.* Et jam antea *cap. XLIX.* postquam stupendum gentium ad Ecclesiam confluxum summa plane elegantia descripserat, in lætitiæ, & gloriæ cumulum inter alia dicit: *Et erunt Reges Nutricii Tui, & Regina Nutrices Tua.* Vide aliâ gravissima ibidem descripta.

§. 1086.

Inter alias honoris significationes erat etiam venia reis ad preces Sacerdotum concedi solita, ex qua consuetudine solum jus ASSYRII superest. Licet, ut fatear, hoc veniæ genus non ad honorem Religionis, & Sacerdotum, sed proxime ipsius DEI, & sic ad caritatem pertinere mihi videatur, Ex usu enim omnium Gentium confugientibus ad aras, & templa Deorum

rum

rum non ad honorem Sacerdotum, sed ex amore qualiscunque Numinis parcere solebant. Nostri autem moris Asylum potest defini, quod sit *jus quoddam legitimum a potestate politica & sacra constitutum, qua reis ad locum quemdam sacrum confugientibus impunitas, religionis causa eoque conceditur, quousque legitime sanctiones eam definiunt.* *

* Neque puto, hanc definitionem ab aliquo improbandam esse. Continet enim ea capita, quæ prout in eorum deductione apparebit, legitimis autoritatibus, & rationibus nituntur.

§. 1087.

Itaque est *jus legitimum*, & ideo infertur *Imo*, quod ab heterodoxis male traducatur tanquam noxium, & quod magis injuria in Rempublicam, quam pietas in DEUM esse videatur; neque enim occasionem delinquendi præbet. Nam ingenti auctoritate, & cultissimarum sane Gentium usu commendatur. Præterquam enim, quod vestigia refugiorum aperta habeantur in gente etiam Judaica DEUTRONOM. XIX. Item III. REG. II. 28. & alibi. Aliarum Gentium etiam cultissimarum copiosissima extant exempla. Sic capta civitate ad templa confugiebant, tacite quodam naturæ instinctu persuasi, reverentia
reli-

religionis etiam ferocissimum hostem exar-
 mari posse. Principes christiani etiam ipsi
 sacro tempori, *Paschati* maxime hunc ve-
 niæ honorem habebant. THEODOSIUS
 MAGN. non tantum carceres, sed etiam
 sepulchra ad diem Resurrectionis Dominicæ
 aperiri posse optabat. Atque, ut alia omnia
 desint DEUS ipse pœnas obsecrantibus in-
 dulgendo summum in hoc exemplum præit.
 Quantum enim pauciora peccata fierent,
 si quodlibet mox pœna manifesta severus
 ulcisceretur? Nunc tantis DIVINÆ JUSTI-
 TILÆ sumtibus, ac velut detrimentis, in-
 dulgens reis, suas MISERICORDIÆ illece-
 bras ministrat. Unde etiam nostrum *jus*
Affyli est velut ARA DIVINÆ MISERI-
 CORDIÆ publice statuta, in qua concessa
 reis venia aptissimum, ac HUIC NUMINI
 maxime proprium Sacrificium est. *

- Neque damna in Rempublicam inde nata re-
 cte causantur. Nam sine omni impendio ni-
 hil nobile, & pretiosum DEO offerri potest.
 Præterquam quod rara admodum delicta ex
 confidentia in affylum perpetrentur: quæ qui-
 dem ex religionis honore facile compensantur.
 Non tamen hoc genus religiosi cultus defi-
 nite debetur ita, ut abrogari non posset.
 Multus equidem splendor, & reverentia divi-
 no cultui, seu potius IPSI DEO debetur:
 non tamen abscisse hæc venia pro amore DEI
 fontibus concedenda.

§. 1088.

Quia vero hoc jus a POTESTATE POLITICA ET SACRA simul est constitutum, ideo sequitur *II^{do}* sola POTESTATE SACRA id constitui non potuisse *; licet a potestate sacra acceptatum, & mutuo consensu aliquando stabilitum, solo alterutrius arbitrio tolli non queat.

- * Equidem dignum est admodum, ut DEUS maxime misericors hoc indulgentiæ cultu honoretur: non tamen adeo hoc honoris genus a natura est definitum, ut DIVINA MISERICORDIA aliis obsequiis coli non queat, prout mox dictum fuit.

§. 1089.

Insuper hoc jus *religionis causa* reis veniam impertitur, & ideo sequitur *III^{tio}*: hoc officii genus ad religionem, aut magis ad caritatem pertinere, qua immensam illam affectus dulcedinem in DEO honoramus, quæ nulla criminum atrocitate, ac multitudine eousque superari potest, ut peccantium dolore, ac supplicatione mitigata, vim justitiæ non fistat, & divinæ justitiæ ardorem non protinus extinguat.

§. 1090.

Quia demum jus assyli conceditur, *quousque id legitimiæ sanctiones id definiunt*

finiunt §. 1086; hinc ea omnia, & quidem *IV^{to}* sequuntur, quæ legibus desuper continentur. Et hic notandi sunt *effectus* hujus juris; & *loca*, quibus hoc jus competit. Porro *effectus* diversi sunt pro diversitate Personarum: nam *alii certo*, & *alii dubie* hoc beneficio gaudent: *Alii* vero *aperte* ab eodem *excluduntur*. *Certo*, & *abs controversia* assylo gaudent omnes rei de vita, membris, aut his æquivalente pœna periclitantes *c. 6. de Immunitat. Eccles**. Nisi quod infra tractabimus, eorum crimina speciatim ab hoc favore sint excepta.

- * Et sic gaudent assylo etiam Clerici, excommunicati; probabilius tamen excluduntur omnes, qui per baptismum Ecclesiam non sunt ingressi *l. 1. c. de his, qui ad Eccles.* præcipue cum lex ista a jure canonico sit probata *c. 6. de Immunit. Eccles.* nisi hi sincere velint christiana sacra amplecti.

§. 1091.

Jam certo assylo gaudentium favores sunt vel *ordinariū*, & primitus competentes, vel *ad lesi assyli jus reparandum comparati*. Vi priorum competit iis securitas vitæ, & membrorum: adeo ut talibus pœnis nec reipsa affici * nec vi ex loco assyli abstrahi *c. 6. de Immunitat.* nec fraude ex loco sacro elici queant; prout eruitur
ex

ex l. 9. c. de jure & fact. ignorant. **
 Imo existens in assylo ad pœnam corporis
 nequidem condemnari potest. Debent e-
 tiam ministrando alimenta, vel ex bonis
 propriis, vel si ista non suppetant, ex bo-
 nis Ecclesiæ sustentari. L. 6. de his, qui
 ad Ecclesiam.

* Potest tamen in multas pecuniarias condem-
 nari; item bonis fortunæ exui, nisi ea juste
 aquisita secum ad Ecclesiam detulerit. C. 6.
 caus. 17. q. 4.

** Sed utique capi potest, sponte exiens.

§. 1092.

Favores vero ad jus læsi assyli §. 1091
 reparandum, vel sunt *in utilitatem*
rei, vel sunt pœnæ *in ultionem læsæ Ec-*
clesiæ constitutæ. Et reus quidem vi, aut
 fraude extractus Ecclesiæ, & quidem ei-
 dem Ecclesiæ, & publice quidem restitui
 debet, redditis etiam iis bonis, quæ se-
 cum ad Ecclesiam deportavit. C. 6. caus.
 17. q. 4. Imo id etiam fieri debet, si
 quis ob crimen licet certo exceptum, &
 assylo privatum, vi fuerit erreptus. Si
 tamen Rector Ecclesiæ, ad potestatis pro-
 fanæ petitionem reum talem custodire, vel
 tradere detrectet: eadem politica potestas
 omnino vim adhibere potest. *Bulla GRE-*
GOR. XIV. §. 4. Cum alias.

§. 1093.

§. 1093.

Pœnæ in ultionem læsæ Ecclesiæ §. 1092, sunt vel *civiles*, vel *canonicae*. Vi legum civilium tales sunt rei læsæ Majestatis. *L. 2. c. de his, qui ad Eccles.*; & ideo etiam pœna mortis afficiuntur. *L. 6. c. de his, qui ad Eccles.* Ab Ecclesia vero incurrunt excommunicationem PONTIFICI reservatam. *Constitut. GREGORII XIV.* Et hæc quidem circa eos, qui assylo certe gaudent. Nunc vero

§. 1094.

De iis, quibus beneficium assyli non nisi *dubie competit* §. 1090. Et hi quidem usque ad sententiam Episcopi, eodem modo, & iisdem favoribus tractari debent, qui aliis certo assylo gaudentibus competunt. Duobus tamen capitibus horum conditio, conditione priorum illorum inferior est. Nam a *Rectore* Ecclesiæ, si a potestate civili id requiratur, vel ad consensum Rectoris ab ipsa potestate politica custodiri debet reus, de quo dubitatur, an gaudeat assylo. Imo Rectore ecclesiastico hanc custodiam vel negligente, vel detrectante, potestas profana suo arbitrio hanc custodiam statuere potest. Quæ omnia habet *Constitut. GREGORII* sæpius jam laudata.

§. 1095.

§. 1095.

Demum sunt ea tractanda, quæ reos illos concernunt, quorum crimina *aperte ab assylo eos excludunt* §. 1090. Et quidem notanda sunt crimina, quibus a beneficio assyli excluduntur, quorum aliqua sunt juris *antiqui*, alia *recentioris*. Jure antiquo excluduntur *I^{mo}* publici Latrones, id est, qui in via publica homicidium patrarunt animo prædandi. *II^{do}* Viarum publicarum grassatores, qui a prioribus ex eo tantum differunt, quod in via publica, sine cæde (licet unica tantum vice) prædati sint, aut transeuntem spoliarint. *Vid. constitut. BENEDICT. XIII. estque 73. ejusdem Pontificis.* *III^{to}* Agrorum depopulatores, qui alienos agros, segetes, vindemias deprædantur, comburunt &c. *IV^{to}* Qui in Ecclesijs, aut earum cæmeterijs occidunt, vel mutilant *, *V^{to}* *proditorium* ** *vel assassinum* homicidium committentes ***, *VI^{to}* rei hæresis ****, *VII^{mo}* rei læsæ Majestatis in ipsam PRINCIPIS personam.

* Idque sive læsus, sive lædens in Ecclesia existat, licet alteruter tempore patratæ læsionis sit extra locum sacrum. Imo assylo privantur, qui ad Ecclesiam confugientem, inde vi abripiunt, & extra eandem occidunt, vel mutilant. *Constitut. BENEDICT. XIII. §. 4.*

** Id est, qui socium nullo prævio odii indicio occidunt. Imo ex *constitut. BENEDICT. Pars III. Th. Mor.* R mox

mox laudata, ejusque §. 6. caret assylo omne homicidium deliberato, & præmeditato animo commissum, quando scilicet inter decretum occidendi, & ipsam cædem notabilis mora intercessit, ita ut scelus hoc non in primo æstu, aut repente exorta rixa sit commissum.

*** Id est, qui pro determinata, ac notabili mercede occidunt, vel occisorem conducunt.

*** Saltem si propter crimen hæresis inquiratur. An vero omnes hæretici cujuscunque criminis rei careant assylo, controversum est.

§. 1096.

Et hæc quidem septem crimina ex jure antiquo, & maxime ex constitut. GREGORII XIV *cum alias* assylo privant. Recentior quædam lex scilicet constitut. BENEDICT. XIII. *ex quo divina* etiam sequentes excludit: falsificantes Literas apostolicas; ministros furtum, aut fraudem circa quodcunque publicum ærarium committentes; item eos, qui monetas aureas, seu argenteas conflant, adulterant, tondent, vel fraudis conscii erogant: denique, qui ficta auctoritate publica in domo aliqua rapinas agunt cum homicidio, aut mutilatione.

§. 1097.

Hucusque de effectibus hujus juris actum est, nunc *loca*, quibus id competit, commemoranda veniunt §. 1090. Et talia

lia sunt *Ecclesie*, seu templa vere talia; vel sunt templa in sensu latiore accepta, seu loca religioni dicata. Et quidem Ecclesie gaudent hoc jure, etsi non sint consecratæ, etsi pollutæ, aut interdictæ c. 9. de *Immunit.* & insuper eodem favore insignia sunt loca contigua e. g. turris, porticus &c. C. 20. *caus. 17. q. 4.* Imo spatium 40 quoad majores, 30 passuum quoad minores Ecclesias c. 6. *caus. 17. q. 4.* Hoc tamen spatium Ecclesiam ambiens jure assyli vi consuetudinis destitutum esse videtur. Denique loca religione non nihil remotius affecta sunt *cenobia*, *hospitalia*, *oratoria* &c. si tamen ista auctoritate Episcopi sint erecta. Ita constitut. GREGORII sæpius jam laudata, & l. 3. c. de *his, qui ad Ecclesiam.* Denique domus Episcopi c. 36. *caus. 17. q. 4.* Ultra hæc omnia, eum quoque sat graves, & multi immunem faciunt, qui vestem Sacerdotis Eucharistiam portantis adprehenderit. Nullo, id puto, jure, aut lege, maxima tamen ratione id asseritur. Si enim loco, in quo habitat CHRISTUS, honor iste debetur; quando magis deferendus erit ipsimet & præsentissimæ DIVINITATI in hoc Mysterio amoris sedem suam figentis?

CAPUT VII.

De bonis Fortunæ ad cultum Ecclesiæ pendi solitis.

- §. 1098. DEO etiam ex fructibus *decimæ* debentur :
- §. 1099. Quarum proin obligatio *definitur* ad usum modernum.
- §. 1100. Ipsæ vero *decimæ* sunt vel *prædiales*, vel *personales* :
- §. 1101. *Recipientes* vero easdem vel sunt *Clerici*, vel *Laici*.
- §. 1102. Etiam *Clerici* easdem capiunt quandoque jure *extraordinario*, scilicet vel *beneficio legum* ;
- §. 1103. Vel *pactis*.
- §. 1104. *Laici* vero *decimas* vel *definito* quodam,
- §. 1105. Vel *perpetuo* tempore tenent ; idque vel *vero*,
- §. 1106. Vel *præsumpto* titulo.
- §. 1107. Ad *decimas* autem præstandas tenentur *omnes* ; nisi quis *pactis*,
- §. 1108. *Consuetudine*, vel *præscriptione* ab hoc onere *eximatur*.

§. 1098.

Nihil æquius, quam ut ei ex rebus omnibus aliqua earum portio præstetur, qui rebus omnibus ortum & nativitatem tribuit. Unde a me jam aliquando DEI primogenita sibi petentis vox relata fuit : *Mea enim sunt omnia*. Sed rerum omnium portio DEO debita nobis quidem parum cognita, reapse tamen ab ipsa lege naturæ definita est, & reipsa est ipsa pars decima, si sua illis firmitas constet, quæ ad §. 464 ** disputavi. In eo tamen officium dandi fructuum decimas (quantum ex jure naturæ)
offi-

officio orandi, seu DEUM actibus mentis colendi mitius fors erit; quod actus mentis per nullos alios, hoc vero præceptum de præstandis decimis in gravibus & specialibus circumstantiis compensationem per alia obsequia faciendam admittat.

S. 1099.

Verum his omiſſis ea duntaxat explicanda mihi ſumo, quæ jure humano, atque ipſo uſu hucusque obtinent. Et ſic quidem hoc officium recte definiri arbitror, quod ſit *obligatio decimam proventuum ſuorum partem Miniſtris ſacrorum divini cultus * gratia exſolvendi: prout legibus definitum eſt.*

* Non enim puto, decimas ex jure naturæ, multo minus ex juffu Eccleſiæ, ad ſolam ſacrorum Miniſtrorum ſuſtentationem, ſed etiam ad apparatus publicum religionis e. g. in fabricas Eccleſiæ, in ſacra vaſa, veſtes &c. cedere debere. Debet religio, & ſub nomine Religionis latens Caritas, tanquam inter omnia humana negotia ſummum, ornatiffimum eſſe, & ex omnibus tanquam digniffimum eminerere. Per quod tamen nolim aſſerere, quod Miniſtri gratiæ egere debeant; nam ut de eorum dignitate nihil dicam, ſi officium ſuum explere velint, onus graviffimum, & humanis viribus majus ſuſtinent; *Qui bene præſunt Presbyteri, duplici honore digni ſunt: maxime qui laborant in verbo, & doctrina. Dicit enim ſcriptura: non alligabis os bovi trituranti; &*

*dignus est operarius mercede sua, I ad Timoth. V.
17, 18.*

§. 1100.

Jus hoc accommodate ad mores nostros, sequenti ordine explicari posse arbitror. Et in primis considero ipsum *jus decimandi*: & exin *personas*, quas concernit. Jus ipsum vel spectat *res DEO* pendendas, vel *modum*, quo tribui debent. Et quidem quantum ad *res* christiani tenentur, decimam partem omnium proventuum præstare. *C. 26. de decimis*. Hi porro proventus vel sunt *prædiales*, id est, ex prædiis percepti; vel sunt *personales*, id est, sola industria quæsitæ. *C. 5. de decim.** Proventus prædiales plerumque, & primo loco præstandi sunt a Domino fundi *c. 22. de decim.* Vel etiam quandoque ab alio, si fructus nondum decimati ad eum pervenerint**. Sive dein justo titulo ad eum pervenerint *c. 28. de decim.* sive inique retineantur, argument. *ex c. 26. de decim.* *Modus* vero præstandi decimas in eo est, ut *prædiales* præstentur abs deductis sumptibus in colendo agro toleratis***: item quod mox ac collecti sunt fructus, præstentur *c. 7. de decim.*

* Verum decimæ personales in nostris provinciis ab usu, ut puto, penitus recesserunt.

** Unde hoc jus decimandi est velut species quædam juris realis, fructibus ipsis adhærens, eosque comitans, quocunque pervenerint.

*** Aliter res se habet, aut habuit potius in decimis *personalibus*: hæ enim non nisi deductis expensis præstabantur, prout colligitur ex *e. 28. de decim.*

§. 1101.

Personæ seu homines, quos decimæ concernunt §. 1100, vel sunt *exactores*, quibus debentur; vel *debitores*, qui ad eas præstandas tenentur. Exactores, seu qui capiunt decimas vel sunt *Clerici*, vel *Laici*. Et Clerici quidem eas capiunt vel jure *ordinario*, vel *extraordinario*. Et jure quidem ordinario decimarum quartam partem capit Episcopus *c. 6. de offic. judic. ordin.* * Imo Episcopus capit decimas integras ex iis Parochiis, quæ nullum habent Parochum *c. 13. de decim.* Præter, seu potius ante Episcopum decimas accipit Parochus, & quidem suæ Parochiæ decimas ex intentione in jure fundata *c. 29, & 30. de decim* **. Imo etiam alterius Parochiæ, si hæc a priore avulsa, eandem nihilominus ut matricem veneretur. TRIDENT. *Sess. 21. c. 4.* ***

* Verum consuetudo quartam decimarum partem Episcopo ubique ademisse videtur.

“ Id est, nisi aliud evinci queat, censentur decimæ ad Parochum spectare, etsi is nullum pro se argumentum habeat. Et quidem prædiales solvendæ sunt Parocho, in cuius Parochia situm est prædium, etsi id ad Dominum alienæ Parochiæ spectet *c. 13. de decim.* aliud de personalibus *c. 20. de decim.*

“ Nisi forte hæ decimæ, aut pars earum pro sustentatione novi Parochi assignata sit. Idque colligitur ex TRIDENT. *Sess. XXI. c. V.*

§. 1102.

Clericis jure extraordinario jus decimandi §. 1101 competit, vel ex *beneficio legis*, vel ex *pactō*. Tale vero beneficium legis est speciale, seu *privilegium c. 2. de decim. in 6.* vel est generale, seu *prescriptio*, quæ rursus est vel *ordinaria 10*, aut 20 annorum, si fiat contra causam aut personam profanam, argumento desumpto *ex l. final. c. de prescript. long. temp.* vel ista præscriptio est *extraordinaria*: si enim fiat contra Ecclesiam parochialem requiruntur 40 anni cum titulo, vel si is desit, necessarium est tempus immemoriale *c. 1. de prescript. in 6.*

§. 1103.

Alter modus extraordinarius capiendi decimas Clericis competit ex *pactō* §. 20. Scilicet donatione, permutatione, trans:

transactione, compromisso in arbitrum *c. 1, & 9. de decim.* * Idque fit eo effectū, ut vel soli Clerici pacifcentes obligentur, si ea pacta simpliciter in tempus aliquod, & sine solemnitate fiunt *c. 8. de decim.* Vel ut fiat jus perpetuum, & ipsa Ecclesia obligata maneat: si scilicet accedant solemnitates illæ, quæ ad res ecclesiasticas, ut alienandas, requiruntur a jure: *Titulo de rebus Eccles. alienand.*

- * In his pactis nunquam admittendum quodcumque pretium temporale, seu profanum, si de jure percipiendi decimas agatur, quamdiu cum titulo spirituali e. g. beneficio ecclesiastico connexum manet. *Argument. ex tot. tit. de Simon.* sed in hoc casu pars altera etiam, non nisi spirituale e. g. Parochiam debet dare. Unde in causa non nisi Clerici soli, vel una cum Laicis, & accedente insuper auctoritate Superis ecclesiastici possunt esse arbitri *c. 8. de arbit.*

Utique quantum ad ista res longe aliter se habet, si decimæ a titulo sacro separatæ jus mere profanum existunt.

§. 1104.

Sed inter Personas, quæ decimas percipiunt, sunt etiam *Laici* §. 1101: qui tamen eas non nisi, ut a sacro titulo separatas sibi acquirere possunt *. Idque *ad tempus* aliquod; vel *in perpetuum*. Et

R 5

qui-

quidem in aliquod tempus scilicet in triennium (juxta aliquos etiam in longius spatium) decimas sibi competentes quivis Clericus laico potest elocare, *c. 2. de locat. & conduct.*

- Nam cum jure, & titulo sacro conjunctas habere non possunt; laici enim nullum jus sacrum, excepto jure Patronatus, possidere valent, *c. 1. caus. 16. q. 7, & c. 17. de decim.*

§. 1105.

Verum decimæ a Laicis etiam jure *perpetuo* teneri possunt §. 1104. Hoc tamen jus nititur vel titulo *vero*, ac solido, vel *presumpto*, & existimato tantum. Rursus titulus verus est concessio a PONTIFICE, vel ab inferiore Antistite facta. Et Pontifex quidem vel simplici privilegio, vel in Emphytheusin, aut feudum jus decimandi a sacro titulo separatum concedit, prout ex antiquo usu, & *c. 25. de decim.* colligitur. Rectores vero Pontifice inferiores idem facere poterant ante CONCIL. LATERAN. Tertium *c. 3. de his, quæ fiunt a Pralat.* Nunc vero hæc potestas eisdem adempta manet *. *C. 19. de decim.*

- Et jure merito, tam jure naturæ, quam divino urgeri videtur, nec decimæ ab Ecclesia auferantur. Vix credi potest, quanta ex hoc capite detrimenta non solum in Rectores Ecclesiarum, sed in ipsam animarum salutem in aliquibus locis sint orta.

§. 1106.

Alter titulus, quo jus decimandi Laicis competens nititur, est *presumptus*, seu existimatus §. 1105, si scilicet Laici decimas immemoriali tempore possideant, *C. 26. de verbor. significat.* idque licet ne quidem fama de aliquo privilegio, vel feudo existat. Quod eruunt ex *c. 1. de prescript. in 6.* Ubi tamen probe notandum, laicos jus decimandi nequidem tempore immemoriali vere præscribere: hoc enim jus utpote cum sacro quodam jure connexum a Laicis nec possideri, & sic neque præscribi potest. *C. 1. caus. 16. q. 7.* Sed antiqua, & immemorialis possessio jure, & ratione optima facit credere, seu præsumere, has decimas dudum vel privilegio, vel feudo, paucis, auctoritate Ecclesiæ a titulo spirituali fuisse separatas: unde etiam pro pretio profano decimæ Laicorum secure possunt vendi. Si tamen vitium tituli etiam post longissimum tempus detegatur, & sic titulus ille præsumtus evanescat, tales decimæ mox ad Ecclesiam redirent.

§. 1107.

Inter Personas, seu homines, quos jus decimandi concernit, præter exactores, alii sunt *debitores* §. 1101. Et quidem
ad

ad has solvendas plerumque tenentur omnes *, nisi quis speciaticim sit exemptus, *C. 24. de decim.* Talis porro exemptio acquiritur pacto vel *perpetuo*, adhibitis scilicet solemnitatibus juris ad res Ecclesiæ alienandas requisitis, prout argument. capitur ex *toto titul. de rebus Ecclesiæ alienand.* vel pacto *privato*, quod e. g. Parochus pro breviori, aut etiam pro cursu vitæ suæ constituit *c. 5, & 8. de transact.*

* Atque ideo ad decimas tenentur hæretici *c. 24. de decim.* Judæi, saltem ex iis prædiis, ex quibus antea christiani decimas pendebant, *C. 18. de usur.* De aliis infidelium, seu non baptizatorum decimis est controversia. Videtur tamen verum esse, quod ex lege ecclesiastica ad nullas teneantur. Eoquod Ecclesiæ non subsint; nec ejusdem legibus stringantur: tenetur tamen jure naturæ ad suam portionem divino cultui (utique legitimo, qualis modo est solus ille Christianorum) impendendam. Præterea tenentur ad dandas decimas Clerici *c. 2. de decim.* Et quidem ex bonis patrimonii sui obligantur omnes: quod eruitur ex *c. 33. de decim.* Ex bonis vero beneficii ad decimas eosdem teneri innuit *c. 43. causu 16. q. 1.* Quarto loco religiosi *c. 8, & 10. de decimis*, nisi fors speciale habeant privilegium. Item quantum ex jure stricto etiam pauperes: *Argument. ex 17. caus. 12. q. 1.* puta quantum ex jure. Demum obligatur conductor prædii pro rata fructuum, quos capit. *vid. cap. 26. de decim.*

§. 1108.

Alii modi, quibus a præstandis decimis quis eximitur, est 1^{mo} *consuetudo* c. 4, 18, & 20. *de decim.* 2^{do} *præscriptio* & quidem *ordinaria* contra Laicos, vel Clericos, quibus ex titulo privato debentur decimæ, argument. *ex l. ultim. c. de præscript. long. tempor.* vel *præscriptio extraordinaria* 40 scilicet annorum, quale tempus sufficit etiam sine titulo contra quamcunque Ecclesiam c. 1. *de præscript. in 6.* Contra Ecclesiam vero parochialem requiritur præter 40 an. titulus, vel in ejus defectum tempus immemoriale, c. 1. *de præscript. in 6.* *

* Ex quo apparet præscriptionem, ac consuetudinem facilius valere pro immunitate, qua a solvendis decimis etiam laicus liberatur. Jus vero capiendi decimas a laico propter annexum titulum spiritualem, longe difficilius acquiritur, prout patet ex §. 1106.

CAPUT VIII.

De Modis, quibus sacra Munera acquiruntur.

§. 1109. *Modi, quibus sacra Munera obtinentur, sunt ordinarii, vel extraordinarii: & ex prioribus imprimis est electio.*

§. 1110. *Tum vero collatio; & libera quidem competit PONTIFICI;*

§. 1111.

- §. 1111. Et EPISCOPIS. Hæc tamen conferendi libertas
 §. 1112. *Jure Patronatus* non raro impedita est:
 §. 1113. Quod *diversimode* obtineri potest; &
 §. 1114. Ideo in *laicale*, ac *ecclesiasticum* dividitur,
 §. 1115. Et varia præsentato jura tribuit. Verum
 §. 1116. Libera conferendi facultas etiam *resignatione ani-*
mo permutandi, vel in favorem tertii facta non raro
 impeditur.

§. 1109.

Sacra hæc munera *in se* hucusque con-
 siderata sunt; superest, ut de *modo ea-*
dem obtinendi tractemus §. 1070. Tales
 vero *ordinarij modi* generatim sunt duo;
 quos *electionem*, & *collationem* dicimus:
 quibus dein alii *extraordinarij* accedunt.
Electio jam est designatio Viri ad sacrum
*munus de jure apti * canonice ** facta*
*per suffragia majora, & saniora *** eo-*
rum, quibus jus eligendi competit.

* Si enim aliquo vitio juris divini laboret, nul-
 latenus potest eligi: si vero nævus ille sit ju-
 ris humani, non quidem simpliciter eligi, sed
postulari poterit; id est, potest per sufficientia
 suffragia PONTIFICI præsentari, qui dein,
 nisi speciale jus aliud petat, pro arbitrio po-
 stulatum potest, & solet admittere. Unde hæc
 postulatio est mixta ex electione, & dispen-
 satione.

** Innumera subtilitates circa legitimam electio-
 nem jure humano investæ sunt. Nobis hoc ne-
 gotium commemorare sat est; tractandum enim
 illud, ac digerendum S^o Jurisprudentiæ relin-
 quimus.

*** Suf-

••• Suffragia majora sunt illa, quæ comparate ad corpus eligentium sunt plura, e. g. septem suffragia a duodecim electoribus. Neutiquam vero hæc pluralitas æstimari debet ad alios electos. E. g. si quis a duodecim eligentibus habeat tria, alter quatuor, & tertius quinque suffragia, iste ultimus habebit vota plura considerando æmulos, non vero attendendo ad suffragantes: & sic electio ista erit nulla, nullumque per eam tertio illi jus acquiritur. *Saniora* suffragia sunt illorum, qui majori pietate, prudentia, & proximius ad sensum, & finem SS. Canonum in electione egisse videntur. Verum plerumque Pars major, etiam sanior fuisse censetur *c. 57. de elect.* Et quidem abs ullo dubio, si contra electionem nemo excipiat; vel si quis eandem equidem oppugnet; electus tamen habeat duas tertias e. g. octo ex duodecim suffragiis, majora eo ipso etiam pro sanioribus habentur, non obstante aliquorum contradictione. Jam

§. IIII.

Collato alia est libera, alia ad præviam presentationem adstricta. Libera conferendi beneficia potestas competit SUMMO PONTIFICI, in nostris tamen provinciis per *Concordata* maximam partem impedita. Cum enim Romana curia plurimis beneficiorum *reservationibus*, *preventionibus*, *gratius expectativis*, aliisque modis Episcoporum jura vix non penitus exhauriret: Natio germanica pactis publicis cum NICOLAO V constitutis, quæ con-

cor-

cordata vocantur, primæ Sedis honori, & stabilis unionis securitati, & simul Ecclesiarum suarum libertati insigni moderatione consuluit.

§. IIII.

Post Pontificem libera omnium Beneficiorum collatio est in qualibet Diocesi penes EPISCOPUM, adeo ut intentionem in jure fundatam desuper habere dicatur, id est, donec alius per majores rationes jus conferendi, aut præsentandi evicerit, in dubio libera Episcopo facultas adjudicanda est. *Vid. c. 10, 11. caus. 16. 7. & c. 1. de Capell. Monach. &c.* Facultas tamen ista, etsi impedita aliquando, rursus ad eum *per devolutionem* defertur, si alius jus conferendi, aut præsentandi legitime alias obtinens, eodem intra legitimum tempus uti neglexit, & e. g. Patronus intra quatuor menses ad beneficium vacans sua culpa nullum præsentavit. Hocque legitime est ab Ecclesia constitutum, ne per negligentiam, aut discordiam aliquorum cum divini honoris, & salutis animarum dispendio Ecclesiæ suis Ministris diu carere cogantur.

§. IIII 2.

Verum hæc circa sacra Munera conferenda potestas, quæ Episcopo libera ple-

plerumque est, non raro eidem impedita manet: eoquod alii Viri ecclesiastici beneficia conferre queant, vel quod Episcopus ad præsentationem Patroni aliquem sibi oblatum, dummodo is simpliciter dignus sit, instituere teneatur §. 1110: cum præsentato ejusmodi ex ipsa præsentatione non quidem ipsum munus sacrum, sed aliquod jus inchoatum ad illud jam sit acquisitum. Dantur etiam alia hanc Episcoporum libertatem restringentia. *Vid. §. 1116.* Quare DE JURE PATRONATUS tribus, quod ajunt, verbis agere juvat. Quod quidem aliqua jura quantum ad *Patronum*, & alia quantum ad *præsentatum* ab eo continet. In Patrono hujus juris *effectus*, & *origo* commemoratur. Et quidem primus effectus est onus Ecclesiam defendendi, cujus quis Patronus est *. Alter vero in aliquot honoris, aliarumque utilitatum commodis consistit. **

* Curare scilicet debet, ne bona dilapidentur; negligentes Ministros Episcopo denunciare; denique nulli beneficium nondum vacans promittere tenetur. *C. 31. caus. 16. q. 7. cap. 2. de concess. præbend. non vacant. in 6.*

** Debet scilicet honestiorem in Ecclesia locum occupare. Insuper in casu indigentiae ex bonis Ecclesiae illi, ejusque familiae, quantum facultates ejusdem Ecclesiae id patiuntur, succurrendum. *C. 25. de jure Patron.*

§. III 3.

Rationes hoc jus primitus obtinendi sunt vel *ordinarie* * vel *extraordinarie* **. Potest etiam idem jus prius jam constitutum in alium transferri, puta Episcopum, ita, ut is deinceps tale beneficium libere conferre queat *** , & sic jus patronatus extinguatur; vel etiam, ut alius illud obtineat e. g. hæreditate ****, donatione *c. 1. de jur. Patron. in 6.* Vel si castrum, dictio &c, cui tale jus adhæret, vendatur, commutetur *c. 7, & 13. de jur. Patron.*

* Et tales sunt tres: *fundatio*, si quis fundum ædificandæ Ecclesiæ gratis concedat *c. 25. de jur. Patron.*; dein *dotatio* competentes Ecclesiæ redditus donando; denique *ædificatio*, si quis scilicet Ecclesiam de consensu Episcopi primitus exstruat, vel eandem per maximam partem forte destructam (monito tamen prius Patrono, si quis extet) iterato ædificet.

** Tales modi minus principales sunt privilegium, præscriptio, fors etiam consuetudo TRIDENTIN. *Seff. XXV. cap. IX.*

*** Perditur enim hoc jus *1mo* ob crimina aliquot, scilicet propter emtionem simoniacam hujus juris; hæresin; occisionem aut mutilationem Rectoris illius Ecclesiæ. TRIDENTIN. *locn eod. 2do* Casu, si scilicet Ecclesia, aut beneficia, vel familia, cui tale jus compete-
bat, extinguatur. *3tio*. Voluntate Patroni suum jus Ecclesiæ remitteatis, vel eodem per longissimum tempus sua culpa, aut libero arbitrio

bitrio non utentis. *C. 25. de jure Patronat. & c. 1. eodem in 6.*

**** Succedunt autem hæredes in capita, si sint hæredes ejusdem Patroni; si vero diverforum Patronorum, tunc succedunt in stirpes. Sic ad præsentandum Sacerdotem æquali auctoritate pollent tres filii unius Patroni: si vero ex duobus Patronis unus tres, alter vero unicum reliquit hæredem, iste tantum valet, quantum tres priores simul.

§. IIII.

Verum modi jure Patronatus potiundi etiam aliam divisionem subeunt. Si enim id obtineatur titulo sacro, & solis Clericis communi vocatur jus Patronatus *ecclesiasticum*; si vero titulus ille sit profanus, aut certe etiam in Laicos cadens, tunc nominatur jus Patronatus *laicale*, seu *laicum*, etsi vir illud obtinens forte sit Clericus*. Hoc jam jus *laicum* pleraque cum jure Patronatus ecclesiastico habet *communia*; aliqua tamen habet *specialia*. Nam aliquando isto *inferius*, sæpius autem eo *pinguius* est, & felicius. Jus Patronatus laicum jure illo ecclesiastico ex eo *inferius* est, quod Patronus laicus tantum quatuor menses habeat, cum suam Patronus ecclesiasticus præsentationem per sex menses differre queat. *C. 3, & 22. eod. tit.* Contra vero ille præ hoc in exerci-

tio sui juris securior est, quia huic juri raro admodum per novas leges, aut decreta derogatur; & insuper si Patronus laicus de jure indignum præsentet, non perdit propterea etiam illa vice jus alium offerendi: insuper non tenetur concursus a TRIDENT. CONCIL. imperatum præmittere. Quæ omnia in Patrono ecclesiastico aliter se habent. *Vid. cap. 24, & 29. hoc titul.*

* Unde qui ex beneficio, dignitate, aut quocunque titulo ecclesiastico potest præsentare, Patronus ecclesiasticus est. Et si antea illud jus fuerit laicum. Sic Abbas fit Patronus ecclesiasticus ad illud beneficium, quod castro cui-dam adhæret, si illud castrum a familia fundatrice emtione ad Monasterium transit. Ejusmodi enim Præsul titulo *Abbatie* Patronumagens in castro ab Illustri Familia Beneficii Fundatrice emto fit Patronus ecclesiasticus. Cui vero ex dotatione, privilegio, hæreditate &c. tale jus competit, manet Patronus laicus; et si Clericus fit.

§. III 5.

Quantum ad præsentatum §. III 2, fere sequentia notari merentur. Et quidem *1^{um}*, dari jus Patronatus *passivum*, quod vocant, id est, ut aliquis ex aliqua familia, communitate &c, siquidem idoneus adsit, debeat assumi. Ita usus habet. *2^{dum}*, quod Patronus non possit seipsum præ-

præsentare, c. 26. *de jure Patronat.* Potest tamen rogare eum, penes quem est jus instituendi præsentatum, ut se potius, quam alium velit instituere; per has tamen preces nullum sibi jus, aut instituenti obligationem potest statuere, sed totum in arbitrio instituentis manebit. Et ita sat recepta sententia habet. ^{3^{ti}um}: Ex eadem communi opinione plures Patroni possunt aliquem ex numero Patronorum præsentare. ^{4^{tu}m} Denique si plures Patroni discordes sint, nulli præsentato acquiritur jus, si suffragia paria sint: bene vero si aliquis majora vota habeat; majora etiam comparet ad competitores tantum, etsi non sint majora ad numerum præsentantium. Et id eruunt *ex c. 3. hoc titul.* - - - Et en! præter opinionem hanc de jure Patronatus tractationem longius extrahi: cum tamen de hoc jure nescio quid sollicitudinis dari, jam agendo de Simonia innui. Certe antiquiori Ecclesiæ ignotum, & saltem circa beneficia curata, non magnæ lætitiæ materia est §. 425.

§. III 6.

Libera beneficiorum collatio aliis insuper duobus modis impeditur, scilicet *resignatione in favorem tertii*, quam vocamus, & *resignatione animo permutandi*

§ 3

bene-

beneficium cum alio facta. Resignare, seu abdicare beneficium ea conditione, ut illud non nisi illi cedat, cujus amore prior beneficium dimittit, ita inquam, abdicare non licet, nisi in manus PONTIFICIS, id est, nisi interveniente auctoritate, & consensu PONTIFICIS *. Licet vero beneficium cum beneficio permutare non sit ex se sacrilegum, cum detur sacrum pro sacro; lege tamen ecclesiastica ejusmodi pactiones privata auctoritate factæ piaculo Simonix notantur: quin adeo temerarii ejusmodi permutantes perdunt beneficia sua, *c. 7. de rerum permut.* Nihilominus permissum est, ut uterque coram Episcopo suum beneficium dimittat, declarans, se id animo permutandi facere: ubi dein Episcopus tenetur hæc beneficia mutata illis conferre, *Clement. unic. de rerum permutat.* **

- Et merito; nam si alicubi, certe hic ab affectibus, & rationibus naturalibus ingens sacrilegii discrimen est. Pro salute propriæ animæ grave pastoris munus dimittere facile plerumque licebit: sed dimittere definite, ut alter nobis carus subintrare queat, periculosum est admodum. Mihi modo nullum exemplum, in quo hoc tute fieri possit, occurrit, nisi hoc, in quo Ecclesiæ præ reliquis utilis ex aliorum seu errore, seu iniquitate ab ejus regimine arceatur: eoquod in quocunque provehendo nil nisi utilitatem Ecclesiæ spectare liceat.

• Hic

** Hic disputant, an pinguiorem Ecclesiam in commodum alterius dimittens in compensationem hujus detrimenti aliquod pretium, seu partem reddituum sibi pacisci absque periculo Simoniae incurrendae possit. Inprimis in dimisso beneficio pensionem, seu jus aliqua ex eo emolumenta capiendi dimittenti statuere nemo præter Romanum PONTIFICEM potest, prout patet ex titulo: *Ut beneficia ecclesiastica sine diminutione conferantur.* Ex gravi tamen, & probata causa id concedit communis sententia etiam Episcopo. Quod autem privato permutantium arbitrio simile quid fieri queat, in animum inducere non possum: nam in hoc casu vere sacrum sub conditione profana, imo propter eam alteri ceditur.

C A P U T IX.

De quibusdam ad Disciplinam Ecclesiae pertinentibus.

- §. III7. Præcipua juris naturalis, & divini capita ex antiquissimæ Ecclesiae disciplina optime discuntur;
- §. III8. Quæ tamen non improvide, aut ubique propalanda sunt. Nos pleraque omittentes, ex moderna disciplina.
- §. III9. Solam pene notionem censurarum tradimus.
- §. III20. Tales vero sunt tres: quarum prima est excommunicatio,
- §. III21. 2da vero suspensio; ac
- §. III22. demum 3tia interdictum.

§. III7.

Atque hisce Tractatum de Ecclesia concludo: licet innumera disciplinæ ec-

clesticæ capita pertractanda superessent, quæ studium brevitatis omittere, & apud alios inquirenda relinquere jubet. Præterquam quod quæstiones, quidnam Ecclesia constituerit, ad historiam, & quæstionem facti quodammodo spectantes memoriam magis exercent, quam ut gravioris, ac severæ institutionis materia existant. Prostant super hoc capite, id est, de disciplina ecclesiastica aliorum a gravissimo iudicio, & immensa eruditione insignia opera, quæ non nisi magna delectatione, & pari utilitate legi possunt. Unicum tamen monere velim quemlibet, ut ex hisce potissimum discere satagat, quidnam optimæ ætates, & florentissimæ Ecclesiæ circa jus naturale, & Divinum senserint: nam hisce conformes leges, imo ex altiorum iurium horum præscripto suas constitutiones conceperunt, iisque palam docuerunt, quid de præcipuis illis iuribus senserint. Eadem vero legendo sæpissime dices: *Aut illi errarunt, aut nos gravissime decipimur.* Quo profundiorum autem antiquitatem ingressus fueris, eo puriores fontes invenies. Prima sunt optima; quæ subsequuntur jam aliquid ex deterioris ætatis conditione traxerunt. Et licet etiam ex illis Ecclesiæ Pastoribus plures rectissime senserint, præcipiendo tamen non ea, quæ justissima videbantur, sed ea, quorum ob-
tinen-

tinendorum spes erat, sequi cogebantur. Quare maximopere cavendum, ne mediæ, aut nostræ ætatis ecclesiasticas constitutiones, relaxationes &c. pro legitima Divini aut naturalis legis interpretatione accipiamus. Quod non quidem in eo sensu dixerim, ac si in iis aliquid contra jus naturæ, aut DEI præceptum sit; sed in eo duntaxat, quod nostra disciplina ecclesiastica legitimam superiorum jurium mensuram non assequatur.

§. III 8.

Quod si jam ex iis id, quod justum est, dedicisse Tibi videaris, hac tamen scientia Tua non mox, & ubique erumpas, ne pusillos & infirmos impetu Tuo dejicias magis, quam erigas. *Habemus parvulos teneros - - quos si ambulando plus fecerimus, laborare morientur in una die* GENES. XXXIII. 13. *Neque mittunt vinum novum in utres veteres: alioquin rumpuntur utres, & vinum effunditur.* MATTH. IX. 17. Quare non plus obligationis, præcipue in privatis institutionibus, manifestandum est, quam obtinendum speratur: sed generatim magna contentio suadenda, & plerumque etiam singillatim definita vivendi ratio, ac pene singuli actus designandi sunt §. 464 **, ipsa ta-

§ 5

men

men obligatio provide tacenda est. Sic enim a multis legitimum, atque ad sensum Evangelii attemperatum agendi modum obtinebis; negligentes vero in novum, aut continuum peccatum non conjicies §. 820. Et sane mirandum, aliquos ex modernis providum hoc filendi consilium in privata directione tantopere accusare, dum tamen Ecclesia in publico regimine plurimam non definit, & Filiorum suorum ignorantiam in salutem eorum opportune vertit §. 698. Imo ex opinione S. BONAVENTURÆ DEUS ipse aliqua juris naturæ capita nobis studiose tenet abscondita, ne eorum gravitate, & multitudine obruti deficiamus.

§. IIII9.

Longam adeo de Ecclesia tractationem pertexendo sat ampla, quod jam dixi, negotia omitto. Nihil enim de potestate præcipiendi, puniendi, & judicandi commemoraverim. Quantum ad vim puniendi speciale, & cuius alteri regendi consuetudini fere ignotum pœnarum genus se offert, quod *cenfuras* vocamus, & quarum hic fere extra ordinem generalem saltem notionem ministro, utpote quæ ad forum interius facile poterit sufficere. Licet enim alias de his operose disputent, &

& in curiis ecclesiasticis sacrorum Ordinum Candidati satis desuper exagitari soleant : in ipso tamen exercitio hujus doctrinæ usus opinione multo rarior est. Præter censuram in percussores Clericorum latam, & de qua jam supra a §° 926 egi, vix alia in vulgus est nota, & sic ab ignorantibus fere nulla incurritur. Sed etiam de pœna in libros hæreticorum legentem, & quæ ad usum facere posset §. 168, tractavi. Cum vero omnes pœnæ a publica potestate latæ vindictam, vel commune exemplum spectent : sola fere censura privatam emendationem sibi propositam habet. Definitur enim, quod sit *pœna spiritualis, ac medicinalis privans quorundam sacrorum usu, a S^a. Potestate inflictæ, ut reus a sua contumacia desistat.* Unde non nisi singulorum correctionem intendi clare ostenditur : licet hæ censuræ aliquando a sua natura velut degenerent, & non raro ad exemplum, vel pœnam in delicto suo non jam amplius pergenti infligantur. *

- * Et quia contumacia contra sacram Potestatem in eo non intelligitur, qui præceptum Ecclesiæ, & statutam pœnam ignorat, ideo ignorans eandem immunis manet, etsi delictum sciens committat. Idem dicendum de eo, qui gravi metu adactus peccat : licet enim jus naturæ, & quandoque Divinum nulli necessitati cedant ; cedunt tamen plerumque leges humanæ ; ut adeo talis actus e. g. sacrilegii legi

legi naturali adversus maneat: urgente tamen gravi metu non amplius est contra jus humanum, & sic contumaciæ, ac proin etiam censuræ expers.

Præterea de censura generatim spectata addendum, quod alia sit *ab homine*, id est, prævio iudicio per sententiam, & in casu singulari infligta; alia vero est *a lege*, seu per ipsam constitutionem generatim pro certo aliquo delicto taxata. Sed hæc rursus est vel *late sententiæ*, quæ proin patrato delicto mox incurritur; alia autem *ferendæ sententiæ*, seu quam etii a lege taxatam, nemo nisi post sententiam patitur.

§. 1120.

Censuræ vero sunt tres, quarum *prima* est *excommunicatio*, quæ definitur *censura ecclesiastica, qua homo baptizatus a Communione Fidelium separatur*. Dividitur in *minorem*, qua quis sola Communionem, & usu Sacramentorum privatur; & in *majorem*, qua aufertur communicatio integra * cum aliis exercenda **. Quæ quidem excommunicatio major semper censetur esse infligta, quoties vel ab homine, vel a lege sententiæ excommunicationis simpliciter profertur. Hæc tamen excommunicatio major post CONCIL. CONSTANT. & latam in eo a MARTINO V legem, dividitur insuper in excommunicationem *vitandorum*, & *toleratorum*. Hæc, id est, excommunicatio toleratorum, solum ex-

com-

communicatum a Communionem aliorum Fidelium arcet; hi vero pro arbitrio cum eo communicare possunt, ne scilicet innocentes æque, ac reus affligantur: per illam vero etiam alii fideles ab excommunicato se abstinere tenentur, minorem excommunicationem incurfuri, si absque gravi ratione cum eo communicaverint***. Probe quippe notandum censuras omnes reapse nihil aliud esse, quam leges Ecclesiæ prohibentes, quæ proin, si absit contemptus, periculo infamiæ, & cuiusvis gravi causæ cedere solent.

* Non tamen communicatio mere interna, quæ in fide, caritate, gratia, mutuis suffragiis, & satisfactionibus §. 1050, & seq. perficitur, hac pœna intercipitur. Imo omnino permiffum est, pro excommunicato etiam speciatim preces, privatas tamen, fundere.

** Quare privatur *imo* publicis Ecclesiæ suffragiis: *2do* usu Sacramentorum tam aliis ministrandorum, quam percipiendorum: *3tio* Facultate publicis officiis (excepta concione) adstandi: *4to* Sepultura ecclesiastica, nisi ante mortem, vel si pœnitens obierit, post mortem ab hac censura fuerit absolutus. Si enim in loco sacro excommunicatus (ut puto vitandus) fuerit sepultus, locus ille pollutus, & non nisi reconciliatione ad sacros usus restituendus esse censetur: exiit *5to* Capacitate beneficium ecclesiasticum accipiendi: acceptorum enim non jus, sed usum solummodo perdit: *6to* Usu jurisdictionis sacræ; toleratus tamen non suo arbitrio, sed aliorum rogatu
eau.

eandem usurpare potest : 7^{imo} Denique communicatione etiam politica, & profana, quantum abs gravi incommodo fieri potest. Docente APOSTOLO *I Corinth. V. 11*, *si is, qui frater nominatur, & fornicator, aut avarus - - - cum ejusmodi nec cibum sumere.*

Ex quo apparet, quam gravis sit ista pœna, & proin quam parce adhibenda; quod ipsum optat CONCIL. TRIDENTIN. *Sess. XXV. cap. III.* Indices denique excommunicationum lege apud obvios.

*** Tales tamen *vitandi* paucissimi nostra ætate sunt: scilicet solus *notorius*, id est, in vulgus notus, & *certus* insuper Clerici percussor; &, qui est alter, si alicujus excommunicatio speciali decreto publice denuntietur.

§. 1121.

Alterum censurarum genus est *suspensio*, quæ definitur *censura ecclesiastica*, qua Clericus ab actu aliquo ecclesiastico sibi alias competente ad tempus prohibetur. Si enim hæc prohibitio esset perpetua, degeneraret in pœnam depositionis. Est autem suspensio modo ab *ordine*, & *officio*, modo *a beneficio*, modo ab utroque; nunc *ab aliquibus*, alia vice *ab omnibus actibus*. Denique suspensio simpliciter lata semper est integra, & prout vocamus, *totalis*.

§. 1122.

§. II 22.

Interdictum denique est censura ecclesiastica, qua celebratio divinarum officiorum, usus *Extremae Unctionis*, *Ordinis*, *Eucharistiae extra mortis periculum*, & denique *sepultura sacra* prohibetur. Est vero vel *locale*, vel *personale*, vel *mixtum*, prout nempe vel locus, vel homines, vel utrique interdicto supponuntur. Non tamen otiosa est hæc diversitas: nam interdicto loco cives ab eo abeuntes liberantur ab interdicto, & peregrini eo accedentes eodem involvuntur. *Personale* autem adhæret velut ossibus hominis quorsumcumque transeuntis; alios autem cives, vel hospites licet in eodem loco existentes, intactos relinquit. *Mixtum* denique utriusque prioris incommoda involvit. *

- A censuris absolvendi potestas competit ei, qui eas inflixit; insuper ejusdem Superiori; denique illi, cui alteruter Priorum hanc facultatem concessit. Quæ quidem regula patitur unicum exceptionem, estque sequens: censuras ab ipsa lege, & simul lata jam sententia inflictas, & nulli insuper speciatim reservatas quilibet Sacerdos ad excipiendas confessiones approbatus absolvendo potest tollere, prout habet communis, & recepta sententia.

T.R.A.



TRACTATUS XV.
DE PIETATE HOMINIBUS
DEBITA.

C A P U T I.

*De mutuo Pietatis vinculo , qua
 Familiæ coalescunt.*

- §. 1123. Post explicatam pietatem DEO debitam, sequitur illa, quam homines a nobis recte exigunt:
 §. 1124. Licet etiam Angelis ob beneficia ab iis in nos haud dubie collata pensum aliquod pietatis debeatur.
 §. 1125. Inter homines vero præcipua est illa *Filiorum in Parentes*. Illud tamen officium, quo Parentes filii tenentur.
 §. 1126. Est pietatis sibi metipsum debitæ quædam portio.

§. 1123.

Amplissimum utriusque naturalis scilicet, & supernaturalis religionis Imperium tandem emensi, doctrinam de pietate DEO debita inde a §° 275 cæptam absolvimus. Scilicet virtutem moralem, seu officium ex titulo creato debitum in *pietatem*, & *justitiam* dividebam §. 274, prout nempe ali-

aliqua obligatio ex beneficio vel pacto est orta. Quia vero aliqua beneficia a DEO, & maxima quidem accipimus, ideo de religione, seu pietate pro beneficiis DEI in nos factis debita tractandum erat §. 276. Cum vero etiam facultates creatæ Angeli scilicet, & homines in nos benefici esse soleant, aliquam exinde ad hos ipsos pietatis obligationem existere manifestum est.

§. 1124.

Atque inter liberales hæc mentes primo loco recenseo ANGELOS, utpote quos nedum ex caritate in DEUM, & ex ea, quam ipsis communem habemus gratiam, sed etiam ex naturali affectu in nos vere pios existere censeo. Cum enim mentes etiam nos simus, & sic cultu, & obsequio digni existamus; nemo sane dixerit, nobiles illos, ac liberales Spiritus mentes se paulo inferiores nihil curare, eisque nihil obsequii impertire. Quare dubio caret, nos non tantum gratiæ, sed etiam naturæ varia beneficia hisce debere, eosque nobis, quantum eisdem datum est, impense studere, pari, & majori studio exinde dignissimi. Neque naturalem hanc affectionem minuere potest, aut in mere supernaturalem ea ratio convertit, quod Angelos existere, non nisi ex fide discamus, prout ex §. 300 patet.

Pars III. Th. Mor.

T

§. 1125.

§. 1125.

Inter homines autem non datur major, & arctior *pietas*, quam *filiorum ad parentes suos*. Atque *beneficium generationis* sat manifestus titulus est, qui prolem genitoribus suis obstringat. Verum per hoc antiquissimum illum, maxime naturalem nexum, quo plures eandem familiam constituunt nondum satis explicamus. Sic enim officia filiorum in parentes suos, non item obligationes horum in illos intelliguntur. Ex eo enim, quod insigne aliquod beneficium in alterum contuleris, non sequitur, quod ad plura alia conferenda eo ipso adstringaris; cum gratia collata accipientem, non vero dantem obligare queat.

§. 1126.

Quia porro inter generantem, & genitum datur quædam communitas sanguinis, & filii quædam velut pars parentum suorum existunt: post eam pietatem, quam propriis membris debemus, proximo loco sequi videtur illa, quæ proli debetur, utpote in qua parens velut secunda vice spirat, & vivit §. 294, & 301*. Ut adeo vinculum familiæ sit duplex, ex pietate in seipsum, & ex alia pietate, quam beneficium generationis meretur, mire com-
posi-

positum. Ex quo etiam apparet, quod *non debeant* (plerumque) *filiis parentibus thesaurizare, sed parentes filiis.* II. *Corinth. XII. 14*, quia pietas in seipsum est major, quam in quemvis alium §. 294, & officia parentum in filios fit velut secundum in seipsum pietatis caput. Præterquam quod naturali ordine causa effectui, non vero effectus causæ suæ plus tribuere, & se impendere debeat. Et sic §. 226, parentes filiis præhabendos esse, non satis recte innui, cum parentes filiis plus debeant, horum vero pietas in illos non adeo arcta esse ex mox dictis videatur.

C A P U T II.

De officiis Parentum in filios.

- §. 1127. *Primum in prolem jam conceptam officium parentibus imminet. Unde*
 §. 1128. *Matrum in fetus suos obscura obligatio*
 §. 1129. *Aliqua regula definitur. Tum vero*
 §. 1130. *Parentes prolis jam natæ corpus,*
 §. 1131. *Et animum curare debent; idque etiam*
 §. 1132. *Quantum ad officia, quæ a gratia cuique imminet.*

§. 1127.

Equidem proli nondum existenti nihil debetur §. 301: cum amore, & ex officio in prolem nemo generare teneatur. Alias huic officio continuam operam na-

vare tenerentur omnes, quibus obtinendæ prolis aliqua spes foret. Omnino tamen plurima debentur proli jam generatæ, et si natæ nondum §. 1126. Et *primum* quidem officium est, ut conceptus jam foetus ad felicem nativitatem perducatur: neque quidquam committatur, quod notabile eidem periculum accerfat. Ast

§. 1128.

Quænam sunt Matrum obligationes in ipso partu? quotnam, & quam acerbis incisiones, & violentias admittere tenentur urgente periculo infelicis nativitatis? - Item quantam vim licet proli inferre? Quænam medicamenta ad salutem matris cum detrimento foetus adhibere permittitur? In arcta, & reapse maxime definita causa ex communibus regulis sententia scribenda esse videtur. Quantum jam ad officia *agentia* vid. §. 296 scilicet *omnia officia mater primo sibi, & dein proli debet, quæ in ejus potestate, & altioribus officiis non sunt adversa.* Et quia malum doloris est infra malum mortis, quantum *ad solum* dolorem nulla acerbitas illud officium, quod a probabiliore periculo mortis venit, superare potest, si ope dolorosæ medelæ vita probabilius servanda sit: sive dein de vita matris, aut prolis agatur. *Vid tamen §. 298.*

§. 1129.

Pro officiis in hac causa *negantibus* sequens regulâ fors totum exhauriet: *Nec ad matris, nec ad prolis vitam servandam licet alterutri illud subsidium adhibere, quod alterutri probabilius mortis periculum accersat* *. Ut adeo impium sit prolem adhuc vivam in utero materno fecare, discerpere, vi mortifera extrahere, et si alias Mater, & proles simul peritura sit. Hoc enim quantum ad parentem nihil aliud foret, quam filium pro salute matris data opera occidere; quantum vero ad foetum hoc idem esset, ac occidere aliquem, ne ex intervallo aliquo moriatur. **

- * Sed an ab hac regula neque sequens casus excipiendus erit? Sine quodam e. g. sectionis genere puerpera certo una cum foetu morietur: sectio tamen est vel a seipsa, vel a mediocri Chyrurgi arte ejus conditionis, ut per eam non quidem certo, probabilius tamen mors sit inferenda; contra vero vita minus probabiliter servanda. „Sane spes vitæ et si „minus probabilis debet hic superare periculum vitæ destruendæ, vitæ inquam, alias „brevis, & certo perituræ; vel an non licebit „ultimum servandæ vitæ auxilium adhibere? „& quoties Medici utuntur medicinis etiam „minus probabiliter profuturis, dum aliæ non „amplius suppetunt?“ Verum quia vita non est in jure nostro, eaque utendi, neutiquam vero eandem destruendi facultatem habemus §. 290, hoc, de quo disputamus, probare non

possum ; utpote de quo verum est dicere , quod talis probabilius cædem committat , ut vitam minus probabiliter redimat. Præterquam, quod conatus de vita tuenda ad officia agentia, contra vero obligatio de eadem non destruenda ad negantia, spectans præ illo priore multo delicatior existat.

- ** Sed neque spes Baptismi , & salutis æternæ aliam regulam hic infert : nam præterquam quod plerumque , & probabilius infans in utero baptizari queat §. 604 , etiam alienæ salutis studium contra officium negans , quo vitam destruere prohibemur , quidquam valet §. 307* .

Per ea tamen , quæ hucusque disputata sunt , nolim prohibere omnia ea , quæ remotum , & minus probabile periculum accersunt. In tali enim casu pietas in se , & alios multa requirit , & ea , quæ proli debetur , probabilius nihil patitur.

Sed an Parentes possunt matrimonio uti , si ex frequenti abortu , aliisve indiciis probabilius debeant prævidere , foetum deinceps concipiendum simili fato , & sine baptismo extinguendum fore ? Si vera sit mea sententia , quod proli primum concipiendæ nulla debeat pietas §. 301. non nisi affirmantem , duram tamen responsonem reddere potero.

§. 1130.

Alterum parentum in proles suas officium est , ut earum *corpus* , & *animam* curent. Ad priorem classem spectant victus , vestitus , providentia in futurum , scili-

scilicet ut statui competentes facultates, quantum licet, eisdem præparent, aut certe ab arte, scientiis, assuetudine laborandi * illas ita instruant, ut lucrando sibi pani sufficiant, stabile, & opportunum vitæ genus capeffere queant.

* Imo artibus, scientiis, & quod magis insuper refert, agendi studio, ac sedulitate rationales furculos suos imbuere, ac probe imbuere debent; etsi amplæ eisdem facultates suppetant. Nam præter pericula ab otio imminencia Pietas in rempublicam, & privatos egentes, denique divina gloria cuilibet laborandi officium imponit. Perniciosus error ad publicam & privatam ruinam alicubi invaluit, quo Divites, & Nobiles a necessitate laborandi absolvunt: imo quod intolerabile est, curas & labores ad dedecus imputant. Atque id demum gloriosum, ac beatum censent, si meris nugis, ac delectationibus pretiosos dies, & aliorum labores consumere queant. Sic vivendo justitiam ex pacto constitutam forte non lædunt; sed jus divinum, & pietatem tales graviter violant, inutilia terræ pondera, & de quibus natura dolere debeat, quod eos frustra genuerit. *Vid. §. 299, & 1171.*

§. 1131.

Verum præter curam, & victum corpori necessarium multo magis circa *cultum animi* pro filiis suis sollicitos esse decet parentes, cum utique abs comparatione nobilior hominis pars præ corpore

T 4

mens

mens fit. Hic porro a vitiis, & quantum licet, etiam a sensu vitiorum tenellas indoles prohibere debent, præcipue cum in fragili, & sui incuria juventute a sensu ad consensum tam breve intervallum existat. Quorundam etiam sola notitia adolescentiæ nocet, eorum maxime, quæ per omnem vitam ignorare beatum est. Educandi genus non quidem crudum, & inhumanum; grave tamen, ac severum esse oportet: nam ad omnia officia explenda, & perpetuo explenda (debent enim omnia, & perpetuo expleri) non sufficit nisi indoles firma, duris assueta, a deliciis abhorrens, & nescio quid spartani roboris habens. *

- * Quanta detrimenta in infelices parvulos, & in totam communitatem ex eo redundant, quod mollia pro decoris habeantur, dum levissima, imo vere noxia etiam inter necessaria bonæ institutionis capita censentur? Non datur verus decor, nisi qui a justitia venit: nostra vero ætate immodici sumtus, splendor vestium, sub genere decori adolescentiæ ostenduntur. Aliqua quidem, etsi ex sui conditione ad levitatem spectantia, usus ætatis nostræ etiam justissimis mentibus necessaria fecit: sed maximam affectus, & conatus partem in ista effundere certum est vitium.

§. 1132.

Data vero aliquando religione divinitus tradita *alter*, longeque nobilior *animi*

mi cultus a parentibus proli suæ impendendus in eo est, ut præceptis Evangelii, & ejusdem copiosis sensibus easdem aut ipsimet imbuant, aut ab aliis imbui curent. Velimus, nolimus, dedecus CRUCIS pro summa gloria habere, CHRISTI abjectionem amplecti, acri studio ad æterna contendere, transeuntia hæc, & fluxa alto animi sensu despiciere, orationi justam, id est, multam operam impendere, denique contra sensum mundi, & ad placita Evangelii contra commune præjudicium contendere debemus, nisi ingens æternæ salutis periculum adire velimus. Unde facile apparet, quod ejusmodi regulæ, & principia tenellæ ætati sedulo propinandæ, ac velut ingenerandæ sint, si ex iis veros christianos formare volentes, ab ingenti animæ discrimine eisdem cavere desideremus. *Vid. §. 233, & seq. item §. 464, 730 & seq.*

C A P U T III.

De officiis Filiorum in Parentes suos.

- §. 1133. Sed utique etiam *Filii Parentibus* plurima debent. Atque imprimis
- §. 1134. *Obedientiam*, non tamen *infinitam*, præcipue quoad electionem status.
- §. 1135. Præstare insuper tenentur *honorem*: ubi etiam decetur,

- §. 1136. Quodsi parentes officio suo defint, filiis necessaria negantes,
 §. 1137. Propterea parentibus quidquam clam a filiis auferri non posse:
 §. 1138. Quia scilicet pietas vinculum justitiæ non solvit.
 §. 1139. Tertium demum pietatis tributum parentibus debitum non raro sunt varia subsidia. Ad quas tamen tres classes
 §. 1140. Alia parentibus debita facile reducuntur.

§. 1133.

Quod liberi a parentibus suis tot beneficiis cumulati ad mutua demum officia, eaque ampla admodum teneantur, jam facile intelligitur. Et hæc est proprii nominis pietas, seu obligatio ex beneficio humano nata, & sic hominibus debita §. 274; illa enim parentum in filios, & quodammodo in seipsos pietas ex alio fonte est orta §. 1126. Grandis vero est obligatio, & ab ipso DEO inter officia hominibus debita primo loco recensita: *Honora Patrem tuum, & Matrem tuam, ut sis longævus super terram.* EXOD. XX. Dum per rationem contrariam longiore vita jure indignus sit, qui eos non honorat, quibus suam post DEUM vitam debet. Porro hæc pietatis jura ad tres fere classes referunt, scilicet ad *obedientiam, honorem, & subsidia præstanda.*

§. 1134.

§. II 34.

Et quidem *obedientiam* Domestici hi Principes jure maximo petunt, qui suum hoc jus, & Dominium omnium antiquissimum, & maxime naturale non pacto, aut subditorum consensu, multo minus bello, aut donatione compararunt; sed ex seipsis una cum prole genuerunt sibi. Quam quidem obedientiam divinæ Literæ multoties, & graviter inculcant maxime ECCLESIAST. III. Ubi inter alia: *Qui timet DOMINUM honorat Parentes, & quasi Dominis serviet his, qui se genuerunt.* Ubi filii sedulo curare debent imperia parentum, certas societates, sumtus, ludos &c. interdicientium, utpote quæ non raro graviter obligant. Item si desidia sua ad stabile vitæ genus se ineptos reddunt; parentum curas, & sumtus frivole augment; vita parum honesta eisdem dedecoris, & justis doloris causa existant. Non tamen hæc parentum potestas infinita est. Unde nemo facile probabit eas Romanorum leges filios non tantum vendere, sed post venditionem forte manumissos iterato, ac tertio vendere concedentes. Maxime autem debent eisdem liberam status electionem permittere, quantum sine magno parentum, & filiorum detrimento id fieri potest*. Unde impii, & læsæ libertatis rei sunt:

fi

si filios a capassendo vitæ genere sacro vi avertant, vel ad illud adigant nolentes; si honesto, & statui compètenti matrimonio obtent; sponsam ad suum, & non ad genium filiorum factam vi, minis, increpationibus, importunis precibus velut imponant eisdem.

- Est autem omnino aliqua pars parentum circa vitæ conditionem a filio eligendam. Et quidem si una conditio præ altera ad utriusque, Parentum scilicet, & filii utilitatem æque faciat, totum arbitrio eligentis est permittendum: si unus status præ altero alterutri notabiliter utilior foret, possunt moderate instare: si vero magna omnino detrimenta ex tali electione e. g. ex nuptiis omnino indignis imminerent, possunt etiam acriter resistere, id tamen caventes, ne si nimia vi agant, maximum malum incurrant, dum magnum vitare conantur. Filius vero prudentibus, & sanis consiliis morem non gerens, graviter utique peccabit. Denique parentibus in gravi necessitate constitutis adeo circa vitæ genus morem gerere tenetur, ut aliquando in gravissima eorum necessitate, etiam post emissâ religionis vota ad sæculum remeare teneatur, si alia tantæ necessitati subveniendi via non suppetat.

§. 1135.

Sed etiam *honoris*, & *reverentia* pensum eisdem exsolvere tenetur filius; atque inde omnis ab eo injuria, & contumeliæ genus non tantum ex vi-justitiæ iniquum, sed

sed ob læsam pietatem speciali malitia improbum erit. Et quidem quod insuper notandum, injuriæ genitoribus illatæ facile grandescunt: dictum acerbius, minæ notabiles, levis percussio frequenter, imo plerumque lethalis est, quæ aliis factæ non nisi leves culpas constituerent. Aliud de furtis, quæ in parentes commissa lentius in grave delictum coalescunt, quam si extraneis quid auferatur, eo quod facilius circa res nostras filiis ex naturali affectu aliquid permittamus; & furtis ab alieno factis vehementius adversemur, in priore casu rem fere nobis impensam, in posteriore eandem perditam esse arbitrantur*. Quod si tamen furta a filio perpetrata eoque usque excrescant, ut etiam considerate ad parentes gravia esse videantur; tunc duplicem, quod jam innui, malitiam, utpote injusta, & insuper impia continent.

- * Si filius rem in commoda sua, & non ad detrimenta, & sui corruptionem impendat, Parentes in filium pii, & divites simul vix erunt inviti; cito autem & vehementer adversi erunt, si usus sublatae rei ad damnum filii spectet. Contra vero Parentes crudi, avari &c. nec in usus utiles, & necessarios consentient. Scilicet cum hic agatur de justitia vulgari, totum a consensu, vel dissensu Parentum pendet.

§. 1136.

Sed si inhumani parentes non tantum utilia, & ad majorem profectum prolis spectantia; sed *plane necessaria* negent, liberos infra conditionem, & denique usque ad notam veri dedecoris educent, cum tamen facultates abunde suppetant: an inquam talibus parentibus, qui officio pietatis aperte defunt, non poterit filius necessaria clam subducere? certe illi dare tenentur, ergo iste exigere, & accipere potest. Verum hic maximopere notari meretur doctrina §. 106 tradita, & toties jam repetita, quæ ex præsentis, & quavis simili causa multum confirmatur. Scilicet quilibet debendi titulus, & ratio speciale pro conditione sua sibi officium petit, & ita petit, ut alteri titulo nec servire, multo minus ab eo tolli, & relaxari queat. Sic e. g. licet numi tui quam maxime in jure tuo sint: si tamen alter indigeat, & æstimated circumstantiis erogandæ stipis obligatio detur, peccabis retinendo numos etsi tuos. Quia nimirum vinculum justitiæ illud misericordiæ, & pietatis in naturam humanam dissolvere non potest, ita ut pecunias tuas non tribuendo non quidem injustus, bene vero immisericors, & in hominem impius existas.

§. 1137.

§. 1137.

Jam respondetur, quod filius * avaro, & officia paterna plane negligenti genitori nihil clam auferre jure queat; eoquod res in dominio ejusdem existant, & vinculum justitiæ specialis per titulum pietatis non dissolvatur, ac denique filius jure nihil exigere, neque Pater jure aliquid dare teneatur, utpote qui ad filium non nisi officia pietatis gerit.

- * Major in hoc est auctoritas Matris, etsi non sit familiæ caput: huic enim tacitum aliquod de Matrimonio honeste, ac prout decet, sustentando pactum, & sic justitia suffragatur. Equidem frena non facile relaxanda; & in dubio judicium familiæ capiti relinquendum est. Denique probe advertendum, quantum ex humano, ac consueto judicio, honestam sustentationem magis, & minus aliquid etiam inter limites decoris admittere: in manifestis tamen mariti defectibus uxori non tantum ea, quæ a Pietate, sed etiam alia, quæ a stricta justitia veniunt, jura concedi debent.

§. 1138.

Atque hic arrepta occasione generatim monendum, quod jam aliquoties innui, scilicet per titulum unius virtutis, vinculum alterius non tolli: prout §. 1136 exemplum attuli, in quo justitia misericordiam superare non potest. Ubi etiam per
ratio-

rationem adversam misericordia, utut major, ac prævalens, non tamen dat licentiam, ut egenus ille diviti debitam sibi stipem furripiat, nisi in extrema necessitate, in quo jus proprietatis cessare putatur. Sic sub obtentu Religionis justitiam, vel vice conversa ex studio justitiæ, & pietatis Religionem lædere aliqui incaute docuerunt, & docere pergunt. Paucis sua cuique titulo, & officio reverentia debet integra constare, & satius est, alicui obligationi deesse, quam solidum officium violando eandem explere.

§. 1139.

Subsidia fortunarum sunt tertium tributi genus, quod pietas in parentes filiis imperat §. 1133. Quamvis enim parentes liberis plerumque thesaurizare ex doctrina APOSTOLI debeant: si tamen illi egeant; hi vero divites, aut saltem ad comparandum panem sat validi sunt, ad præstanda parentibus suis justa subsidia omnino tenentur.

§. 1140.

Et quidem tria officiorum genera vulgo numerant: sunt autem plura, etsi ad priora quodammodo referri queant. Sic Parentibus vitæ nostræ rationes, status electio-

electiones, futurum matrimonium, quantum abs gravi incommodo fieri potest, aperiendum est. Afflictis, infirmis, sensibus consolatio, prout licuerit, afferri, illis insuper, etsi molesti, imprudentes, aliisque erroribus obnoxii fuerint, patientia, quousque officia sibi metipsi debita permiserint, exhiberi debet. Denique hæc obligatio nec morte Parentum finitur. Unde eorum cum grato animo memoria perpetuo tenenda, & etiam coram aliis profitenda. Denique preces, & alia suffragia pro iisdem impendenda sunt.

CAPUT IV.

De Pietatis officiis, quæ quibuscunque Hominibus pro collatis in nos beneficiis debemus.

- §. 1141. Omne genuinum beneficium dignum est gratia, eoque majore,
- §. 1142. Quo majori impendio in nos fuit collatum.
- §. 1143. Bona gratiæ, vitæ, famæ, & fortunarum;
- §. 1144. Sollicitudo Regentium: imo
- §. 1145. Ærumnæ vitæ militaris amore Reipublicæ exantlatæ ampli tituli sunt, circa quos gratus animus se exercent.

§. 1141.

Cum APOSTOLUS II ad Timoth. III. 2. pessimæ notæ hominibus etiam ingratos accenseat: nullum sane beneficium
Pars III. Th. Mor. U in

in nos collatum *sine grati animi actu*, aut *saltem sensu a nobis transmitti oportet*; si tamen benefactum illud veri beneficii dignitatem obtineat. Non enim omnis utilitas ab alterius conatu in nos redundans vera est gratia, cum frequenter alius non nos, sed semetipsum, vel alterum quempiam pro fine muneris sui constituat: ex quo proin debitas grates ab eo repetendas habet, quem sua opera dilexit, seu ultimo spectavit §. 189.

§. 1142.

Quod si nobilem, ac liberalem genuini amoris characterem alterius beneficium habeat *, deinceps eo majus evadit, quo pretiosius donum, & quo majori alterius molestia in nos collatum fuerit; ad danda enim pretiosissima, & ad insignia incommoda non nisi ingens amoris affectus sufficit, mutuo, ac pari amore proin dignissimus. **

- * Quare grati animi officium ex amico, ac vero amore natum, ad mutuum, eumque genuinum, id est, qui in dilecto quiescat, amorem obstringens obligatio est, ita ut non nostra, quæ percepimus cominoda, sed alterius gratuitam beneficentiam honoremus; scilicet ne nos magis quam amicum diligere convinamur.

** Et

Et quam affectione dignum esse putas, summum illud, atque in suo genere prorsus singulare beneficii, & amicitiae exemplum, quo DEUS aliquis amore nostri moriens infiniti pretii sanguinem pro nobis impendit? Verum hic de beneficiis ab hominibus acceptis nobis sermo est.

§. 1143.

Jam pro diversitate honorum diversa sunt beneficia. Inter reliqua eminent *beneficia gratia*: unde plurimum obligamur iis, qui Sacrificia, Sacramenta, preces, satisfactiones, pias doctrinas, & ardentis exhortationes magno non raro sui impendio §. 840 nobis ministrant. De *bono vite*, quod parentibus debemus, actum jam fuit. Qui *fama*, & *existimationi* nostrae, item qui conditioni elevandae testimoniis, suffragiis, precibus, aliisque subsidiis student; hi *bona honoris* in nos conferunt. Iisdem subsidiis, labore insuper, & sumptibus suis ad comparanda nobis *beneficia fortuna* benefici non raro homines conantur.

§. 1144.

Hic insuper commemorandi, & magna commendatione extollendi sunt, qui sacrae, aut politicæ Civitatis nostræ commoda curant; & frequenter se totos impendendo, & exhauriendo pro communi

U 2

salu-

salute pene consumuntur *. Licet enim proxime in nos nihil conferre videantur, quia tamen Rempublicam nostram juvant, ex hujus vera felicitate innumera in nos singulos emolumenta derivantur. **

* Siquidem id ex solido, vereque amico in communitatem studio faciunt: & non gloriam suam, sua item, & familiæ commoda ultimo sibi proposita habeant; paucis si patriam vere diligant §. 1141.

** Viris in communitatem adeo beneficis ab antiquis ingentia obsequia parabantur. De græcis CICERO *pro Mil.* habet: *Quas res divinas talibus institutas viris? Quos cantus? quæ Carmina? prope ad immortalitatem, & religionem, & memoriam consecrantur.*

§. 1145.

Speciali mentione, & solidissimis officiis digni sunt *militēs*, aut saltem *conditio militaris*, utpote quæ maxime arduam, exiguis stipendiis remuneratam, & impendio proprii sanguinis pretiosam sane civitati nostræ operam navat. Quas enim gratias debemus Viris illis, qui pro pace, & securitate nostra etiam moriuntur? quare militia vitæ conditio vere nobilis, & insignis, ac verissimæ virtutis * ardua palæstra est, & longe melioribus præmiis, quam mos fert, omnino digna ** §. 1190.*

* Nam

* Nam si officiis suis rite defungi velint milites, non cæco impetu, non fatali necessitate, non studio honoris, sed amore Patriæ, & justæ causæ; ob fidem Principi datam, denique ob justitiam pro fine sibi defixam §. 106, duros militiæ labores, & gravissima pericula subire debent. Et utique nominatissima Heroum exempla non virtutes, sed sub virtutis specie tuta vitia, scilicet ambitio, inique domnandi libido, invidia, iniquissimum odium, & ejusmodi non raro solent esse. Sic ALEXANDER gentes quasvis obvias laceffens apud CURTIUM *libr. VII. cap. VIII.* a Scytarum legato barbaras quidem, sed magnam partem veras audire voces debuit: *At Tu - - omnium Gentium, quas adisti, latro es. Lydiam cepisti, Syriam occupasti - - jam etiam ad pecora nostra avaras, & insatiabiles manus porrigis.* Sic scilicet gloriosissima gesta reapse in magna latrocinia degenerant, si non ex studio justitiæ proficiscuntur. Et hæc quoad Duces. Verum etiam gregariorum labores, & acerrimæ pugnæ, nisi amor Principis, aut Patriæ; fidelitatis, vel religionis, paucis, nisi rursus unice bonum justitiæ studium ad tantos ausus animaverit, nihil erunt, nisi cæcus, & virtute vacuus quidam furor, desperatio, prædæ desiderium, a dura necessitate imposita servitus, aut aliquid ejusmodi: quæ tamen in insignem, & æternis coronis dignam virtutem evasissent, si solam æquitatem, & qui sub imagine illius semper latet, ipsum DEUM §. 123, & 139 pro fine, & causa motrice habuissent.

Contra vero Militum fors, & conditio sane optima, & aliquando felicissima erit, si vero virtutis amore tot faciant, & tanta patiantur,

ac denique vitam ponant. Si enim verum sit, quod ego sentio, scilicet intemperatum justitiæ studium esse verum amorem DEI §. 124: sane de his pro justitia sanguinem fundentibus jure dicere possumus illud: *Majorem caritatem nemo habet, quam ut animam ponat quis pro amicis suis.* Sed ad nobilem adeo affectum requiritur insignis Religio, vita aliunde intemperata: non enim quis repente pro amore justitiæ mori volet, quem ejusdem amor in quotidiana, & levi pugna a peccato, id est, a violatione justitiæ continere non potuit.

- “ Honorabile aliquando vitæ genus militia erat, & militiae cingulo exui insigne erat dedecus: nunc illud non jam gloria, sed magna poena est, qua ii mulctantur, qui alias in officio contineri non possunt. Neque facile quis gregariæ militiae nomen dat, nisi omnibus vitæ sustentandæ subsidiis destituatur. Ex eo autem hoc vitæ genus maxime horrent, quod post graves adeo ærumnas in ipsa senectute nullus veteranos ager exspectet, & splendida, quæ militia fert, munera, non diutissime, & optime meritis, plerumque parata sint.



TRA.



TRACTATUS XVI.

DE JURE, ET JUSTITIA IN VULGARI SENSU ACCEPTA, SEU DE OFFICIIS EX MUTUA VOLUN- TATE NATIS.

C A P U T I.

De Genuina juris, & ejus, ex quo nascitur, pacti notione.

- §. 1146. JUSTITIÆ vulgaris doctrina *difficilis* admodum est
 §. 1147. Ex eo, quod *jus* non feliciter definiiri solet:
 §. 1148. Quare consuetæ ejusdem *definitiones*
 §. 1149. Merito *refutantur*.
 §. 1150. Cum vero omnia *moralia* officia ex *unius*, vel
duorum voluntate nascantur; cumque priora *pietatem*
 constituent: facile sequitur, quod *JUS* ex duorum vo-
 luntate, id est,
 §. 1151. *Obligatio ex pacto nata* existat. Quare ad *jus* con-
 stituendum requiri
 §. 1152. *Afferitur Imo consensus utriusque*: & quidem
 §. 1153. *Ido De re*, seu opera *possibili*; ac insuper,
 quod est *Illitum, honesta*. Sed
 §. 1154. Insuper ex *definitione* juris inferitur *IVto*, nec *fi-*
delitatem a justitia; neque *jus a fide data* ullatenus
 differre.

§. 1146.

Virtus moralis in pietatem, quæ ex be-
 neficio nascitur, & in justitiam, quæ

U 4

ex

ex mutua voluntate, seu pacto descendit, jam §. 274 a me distributa fuit. Amplissima tandem pietatis tum DEO §. 275, tum hominibus debitæ §. 1123 tractatione perfunctis, jam solum officium ex mutuo duorum consensu ortum, seu virtus JUSTITIÆ explicanda superest. In tota vero doctrina morali gravior, molestiorque materia non haberi censetur, quam ea, quæ de *jure*, & *justitia* inscribitur: idque vel ex ejusdem conditione, vel ex defectu institutionis. Et quidem si quis civilis jurisprudentiæ labores consideret, facile persuadebitur, hanc justitiæ virtutem præ reliquis omnibus amplam, aut certe maxime implicatam esse. Sed etiam institutionis vitio quantum Virum Theologum hujus molestiæ magnam partem jure quis imputabit. Cum enim leges Romanorum infinitæ a nobis receptæ (ut de jure naturæ in hac materia nihil dicam), & sic in conscientia stringentes sint; Viro autem Theologo civilem Jurisprudentiam excipere vix unquam detur; & sacra jurisprudentia ex privatorum profano jure præter judicia, & paucos contractus vix aliquid doceat: hinc molestiæ, hinc tot juris naturæ, & Romanarum, aliarumque legum in arctum spatium compingendi necessitas. Frequenter enim in sacro tribunali, & etiam alibi sua de rebus justitiæ consilia, & judicia edere,

&

& quandoque nullo deliberandi concessio-
spatio consultum suum pronuntiare. Sacer-
dos necesse habet. Præter hos tamen,

§. 1147.

Etiam alium obscuritatis fontem dete-
xisse mihi videor: estque is in eo,
quod definitionem ac notionem juris, prout
illud huc pertinet, minus apte describere
soleamus. Non enim justitiam, ejusque
officia liquido docere possumus, nisi jure
penitius cognito; eoquod justitia in jure
suo cuique reddendo tota versetur. Cum
itaque totius negotii caput non satis ex-
plicatum sit, fieri non potest, ut aliqua
tenebræ per totum corpus se non diffun-
dant: seu quod idem est, *jus* in præsentis
virtute est *titulus debendi*, ex quo *debi-
tum*, seu *officium*, ac denique hujus *solu-
tio*, seu *virtus justitiæ* intelligi debet §.
146, & seq. ut adeo in præsentis negotio
abs legitima notione juris vix aliquid pos-
sit solide intelligi.

§. 1148.

Itaque *Jus*, prout ad virtutem justitiæ
specialis spectat, definimus, quod sit
*libera potestas circa aliquid disponendi
præcipue in commodum proprium* *. Item,
quod fere idem est, *jus* aliis vocatur *po-
testas*

testas legitima, quam quis habet ad aliquam rem obtinendam, vel ad aliquid faciendum, ita ut desuper licite ab altero impediri non queat. Rursus alii jus dicunt, esse facultatem utendi re pro libitu citra injuriam alterius. Denique juxta aliquos jus est facultas in rem, vel personam competens.

- * Per hanc particulam jus proprietatis a jurisdictione discernunt, cum ista minime, illud vero omnino ad propriam utilitatem illius comparatum sit, qui jus illud obtinet.

§. 1149.

Verum hæ definitiones genuinam, ultimam, ac propriam juris notionem, qua ab aliis debendi titulis discernatur, nobis non afferunt: quin potius per hanc nil nisi jus generale illud, & prout est radix, ac primum omnis æquitatis principium §. 139 definitur. Nam e. g. Pater egenus circa filium divitem nonne habet *legitimam potestatem aliquid disponendi, ab eo aliquid exigendi, obtinendi, ut licite, & absque injuria non possit impediri?* habet utique; sed ista facultas non est titulus justitiæ vulgaris, sed pietatis. Idem de DEO, qui innumera a nobis exigendi facultatem ex caritate, religione, & extra justitiam in præsentī sensu acceptam

ptam obtinet. Si addas: *Citra injuriam*, hæc ipsa differentiæ nota, antequam dixeris, quid sit jus, & justitia, intelligi non potest. Rursus *facultas utendi re pro libitu* &c. ægre admodum jus *personale* sub se continet. Ut alia plura huc pertinentia omittam.

§. 1150.

Itaque omnis virtus, & virtutis prævium officium est tale, qualis est ille debendi titulus, ex quo ortum duxit §. 146, & seq. Jam tituli debendi sunt vel *increati*, & proinde nullam sui causam habentes §. 272; vel sunt *producti*, & eo ipso ab aliqua causa descendentes. Cum vero tituli debendi sint vincula moralia, aliam nisi causam moralem habere non possunt, qualis non est, nisi mens quædam libertate pollens. Quia demum vel unica, vel duplex voluntas aliquem debendi, seu obligandi titulum possunt constituere, mutua vero voluntas cum intentione obligandi est pactum: ideo ambiguum juris naturam sequentibus verbis recte, ut puto, finio:

§. 1151.

Jus est obligatio ex pacto nata. Ubi pactum est titulus debendi tamdiu quæsitus; obligatio inde exorta est officium, ac

ac denique *expletio pacti* est *virtus justitiae*. Vid. §. 273, & 274 *. Idem jus, prout præsentis justitiæ substât, etiam definiiri posset, *quod sit fides data, & ab altero acceptata*. Quæ quidem definitio a priore illa verbis tantum, & non re differt. Vid. §. 1155.

* Utcunque autem recens hæc definitio alicui videri posset; ea tamen ab auctoritate minime destituitur. Atque inprimis est concepta ad mentem CICERONIS *de Offic. lib. 1.* Verba autem S. AMBROSII *lib. 1. c. 28.* de officiis etiam adscribere liceat; *Quanta autem justitia sit ex hoc intelligi potest, quod nec locis, nec personis, nec temporibus excipitur, quæ etiam hostibus reservatur, ut si constitutus sit cum hoste aut locus, aut dies prælio, adversus justitiam putetur, aut loco prævenire, aut tempore. - - Si ergo in bello justitia valet, quanto magis in pace servanda? FUNDAMENTUM ERGO EST JUSTITIÆ FIDES.* Aliorum auctoritates advocare brevitatibus studio omitto.

§. 1152.

Ex hac definitione jam consequitur *I^{mo}* ad jus constituendum requiri *consensum utriusque*, eum non qualemcumque, sed cum intentione inducendæ obligationis *; unus enim alterum solo suo consensu non potest sibi obligare: alias posset quis omnes homines ad quodvis præstandum adstringere, idque mero suo arbitrio, quod

quod absurdum est. Sed neque potest quisquam solo rursus suo consensu se cuiquam devinctum reddere: nam jus agens, seu vis aliquid exigendi in mente alterius residet, in qua solo nostro conatu nihil possumus efficere, nisi solo beneficio §. 274.

- * Totum morale vinculum ad mutuam voluntatem se refert, ab eaque producitur: jam si obligationem non velint, eandem non producant. Unde non est pactum, si Tu mere statuas Titio dare 100, isque quam maxime consentiens desuper lætetur, grates referat &c. nisi enim fidem tuam obliges, nunquam teneberis. Quapropter propositum a promissione probe discernere necesse est.

§. 1153.

Cum itaque jus sit *obligatio* §. 1151: nemo vero ad id præstandum, vel omittendum obligari queat, quod in ejus potestate non est, facile infertur *II^{do}*, pacta, & proin nata ex iis jura non dari nisi ad possibile, ut adeo post mutuum consensum de obligatione possibilitas rei, aut operæ promissæ sit secundum caput, quod ad pactum, & jus requiritur. Per similem vero rationem intelligitur *III^{tio}*, id quod promissum est, non tantum promittenti liberum, sed insuper honestum, & æquum esse, & sic non nisi honesta promitti debere, & promissorum honestatem necessariam, & sic tertiam juris nostri conditionem esse. *

* Cum

- Cum jus speciale hoc sub illo generali jure, quo genus omnium virtutum nititur §. 139, contineatur, nihil certius aut clarius esse potest, quam quod jus hoc ad injuriam non adstringat. Et quia ex illo principio §. 139, velut ex communi parente etiam ista specialis justitia succum, & sanguinem, atque ipsam naturam trahit; fieri non potest, ut suæ origini adversa sit, quacum eandem naturam habet. Quare nemo se potest ad impium aliquod, vel iniquum adstringere.

§. 1154.

Notabilis jam, & *IV^{ta}* consecutio est, quod fides data a jure, & proin fidelitas a justitia minime distinguatur, utpote quæ omnes originem suam ad pactum, & conventionem referunt; & sic id demum habent, quod ex hac sua causa unica hauerunt. *

- Ubi facile intelliges, quosdam morum Magistros errare, dum pactum fidelitatis, a pacto iustitiæ distinguunt, & huic solum, non item illi vim obligandi tribuunt. Nam vel partes per illud pactum fidelitatis volunt se obligare? & obligatio etiam ex pacto fidelitatis habebitur: vel non volunt se obligare? & ne quidem pactum fidelitatis, sed forte simplex propositum, aut omnino nihil dabitur.

CA.

CAPUT II.

De Metu gravi, & iniquo ad contractum seu pactum impellente.

- §. 1155. Ad legitimum pactum præter hucusque dicta,
 §. 1156. Multi, & graves D. D. insuper requirunt, ne *metus*, vel *fraus* pacifcentem ad consensum impulerit,
 §. 1157. Speciosissimis PUFFENDORFII rationibus in hanc sententiam pertracti. Et quidem alterum
 §. 1158. Incliti Viri argumentum facile *dissolvitur*:
 §. 1159. Mox vero ex *nostro* officiorum *systemate*, recteque instructo *ordine*
 §. 1160. Etiam *alterum*, ni propria fallat opinio, *penitus enervatur*. Quare ex definitione juris §. 1151.
 §. 1161. Infertur *Vto Metum etiam iniquum efficaciam pactorum ex jure naturæ non obflare*.

§. 1155.

Cum itaque pactum sit titulus ille debendi, ex quo jus, seu officium, & virtus justitiæ nascitur §. 1151: naturam pacti penitus nosse, maximopere ad doctrinam justitiæ pertinet. Itaque *consensus* de obligatione est natura, & præcipua pars conventionis, ad quam prævie tanquam necessariæ, atque ab ipsa natura imperatæ conditiones requiruntur, *possibilitas*, & *honestas* seu æquitas rei promissæ*. Unde *pactum* generatim definitio, quod sit *consensus duorum, aut plurium de constituenda obligatione præstandi aliquid, quod honestum, & possibile est*. Seu, quod idem est, *pactum est voluntas aliquorum,*
se

se suo arbitrio obligantium ad aliquod obsequium, quousque id in potestate, & a legibus permiffum fuerit.

- De his quædam extra ordinem hic subjicienda sunt. Scilicet consensum variis modis posse affici, puta *conditionibus, causis, demonstrationibus*. Quia tamen de his a §. 958 & deinceps egi, eadem huc quoque applicanda sunt. Cum enim consensus ad pactum jure naturæ requiratur, quantum ad hoc consensus Matrimonii, de quo ibi tractatur, nihil præcipui, aut diversi a reliquis, atque ab ipso genere pactorum habere potest.

§. 1156.

Sed nunquid præter hucusque commemoratas condiciones etiam requiritur, ut consensus non sit obtentus ope alicujus injuriæ, e. g. metu iniquo, fraude &c, qua inductus alter nunquam alias consensus demum annuit? Affirmat cum aliquibus antiquis PUFFENDORFIUS *libr. 3. c. 6. §. 10. de Jur. Natur. & Gent.* docens, omnia pacta metu iniquo extorta jure naturæ esse nulla. Neque defuit Viro perspicacissimo splendidissima ratio, qua ait; *Ex injuria non potest jus nasci. Item metum iniquum incutiens etiam obtento consensu sua petitioni salvo jure non potest insistere; prosequitur injuriam, si jus injuria partum prosequatur. Si ergo iste*
nihil

nihil possit jure exigere; alter per necessarium respectum, seu relationem jure nihil tenetur prestare: vel an audebit aliquis concedere, ut iniquus paciscens violentæ promissionis executionem propitio jure petere queat? cum itaque ex tali pacto nihil possit exigi, nulla ex eo obligatio nascitur, & quod idem est, illud pactum prorsus erit irritum. Neque PUFFENDORFIUS gravissima juris sacri, & Romani auctoritate se obrui timet. Quorum tamen utrumque plane persuasum est, robori pactorum metum iniquum, quantum ex jure naturæ, non obesse. Nam leges ecclesiasticæ alias opus non habuisset speciali, atque a se invento impedimento metus libertati matrimoniorum consulere §. 986: & Romana contractus metu licet extortos omnino efficaces semper habebat: atque sero demum, scilicet tempore SULLÆ plusquam post 600 ab urbe condita annos Prætor aliquod exceptionis remedium metum passis concessit. At jus in primis canonicum juris romani placita perpetuo adoptans, a PUFFENDORFIO eadem, qua argumentum ex jure romano petitur, responsione exarmabitur. Leges autem romanæ talia pacta pro efficacibus habebant, eoquod persuasæ essent homini in civitate degenti metum inferri non posse, prout putat PUFFENDORFIUS *libro 3. cap. 6.*

Pars III. Th. Mor. X §. 12.

§. 12. Vel certe iste legum Romanarum sensus, arbitrante HEINECCIO *ad tit. de his, quæ vi, metusve ff.* ex eo obtinuit, quod Jcti Romani plerique Philosophiæ Stoicorum addicti essent; qui Stoici Virum sapientem metu perturbari non posse censebant, & sic metum gravem vere dari negabant. *

- * Verum per hæc mea opinione auctoritas juris romani alteri sententiæ non eripitur. Nam pro arbitrio duntaxat dicitur Romanos, nemini in civitate vim, aut metum inferri posse, credidisse, utpote qui etiam contra ipsas cædes, utique metu deteriores, judicia necessario constituenda esse censebant. - - Sed etiam opinio HRINECCII historiæ parum concordat: nam certum est, contractus metu initos ultra sextum sæculum urbis conditæ perpetuam, & insuper integram vim obtinuisse, ita ut hujus usus, aut legis initium inveniri nequeat, & probabilius ad ætatem 12 tabularum pertingat. Certum est insuper, quod illa ætas ætatem scholæ stoicæ plusquam centum annis superet: non igitur ex Stoa potest esse natum, quod ipsa Stoa antiquius est. Utut ista se habeant, ante tertium bellum punicum Romani paucissimi erant Philosophi; stoici vero adhuc rariores erant aut nullus etiam; certe saltem non tanto numero, ut totam civitatem in suam sententiam potuissent, pertrahere.

§. 1157.

In hanc jam PUFFENDORFII sententiam deinceps a Theologis æque, ac Jctis magno

magno consensu ibatur; utpote quæ ratione, prout videbatur, evidenti §. 1155 se commendabat, & ego quidem de ea vix dubitandum esse censebam, donec hoc negotium non nihil altius meditati sequentia occurrerunt. Quorum erat *primum*: pro efficacia naturali contractuum iniquo licet metu obtentorum, ut de jure sacro, aut romano nihil dicam, stat omnium Gentium, omnium ætatum auctoritas, & vox totius naturæ, severissime præcipientis: **SERVA FIDEM**. Certum quippe est, summos Imperantes, & liberas gentes simplici, & mero jure naturæ inter se uti: quæ induciis, belli, pacisque legibus a se constitutis perpetuo se teneri arbitratæ sunt universæ, licet e. g. pacis condiciones, & sua, & finitimarum gentium opinione iniquissimas Victor hostis extorserit. Vel quis nostra ætate dicere audeat, partes Catholicorum societatem protestantium data opportunitate contra pacem Westphalicam opprimere posse, etsi catholici vi & metu religioni simul, & justitiæ adverso ad eam ineundam coactos se fuisse, ratione, & fide certa credant? *

* Scilicet sancta sunt, & sub nullius utilitatis aut necessitatis obtentu violanda jura Fidei. Patriam conservari, Religionem humana ope defendere, civitatem, libertatem, vitam &c. tueri non est necessarium; fidem servare ne-

cessarium est. In hoc enim, ut alia omnia desint, felicitas humani generis; imo fere tota ejusdem salus continetur. Finge enim omnibus Gentibus intemeratum fidei studium esse, quot exactiones cessarent? quanto sanguini parceretur? Astræam e cœlo reducem haberemus. Nunc vero cum aliquibus minime fidendum, tantum quisque jurium, quantum virium habere censetur; & pax constituta fere ad parandum atrocius bellum concessa mora reputatur. Et quia perfidis, & iniquis Gentibus nihil fidendum, etiam justis & fidei datæ tenacibus necessitas imponitur, omnes nervos in belli usus intendendi; dum, si hominibus fides constaret, exigua chartula præ tribus exercitibus foret.

§. 1158.

„ Verum metum incutiens nihil potest
 „ exigere, & proin metum passus
 „ nulla obligatione tenetur, & sic pactum
 „ illud sterile, & nullius roboris est. “
 Item „ ex injuria non potest jus oriri §.
 „ 1155. “ Hæ tamen rationes, utut insuperabiles videantur, responsionem tamen admittunt, si obligationum naturæ ex titulis debendi æstimentur. Et quidem secunda, qua ex injuria jus produci posse negatur, non adeo gravis est; imo nullius roboris, eoquod obligatio justitiæ, seu fidelitatis non ex metu, sed ex consensu paciscentium, seu ex pacto descendat. Metus enim non ingreditur pactum, sed est ratio

ratio motrix, seu causa impellens ad pactum, eique prorsus extrinseca. Jam ratio motrix, quæ paciscentem ad consensum permovet, sive iniqua, sive proba sit, naturam pacti non mutat: sic emptio panni æque efficax est, sive animo vestiendi pauperem, sive ex proposito de eleganti vestitu vane superbiendi, eum pannum comparaveris; quia scilicet consentiendi ratio motrix, quod modo jam dictum est, consensui novam substantiam non tribuit.

§. 1159.

Sed prior illa ratio, quod scilicet metum incutiens nihil ex tali pacto exigere queat, est multo gravior, & prout apparet, vere convincens. Itaque priusquam inter duos homines ullum pactum constitutum fuit, & quantum ex mero, & ab omni conventionem adhuc puro jure naturæ metum iniquum alteri injicere, per hunc ad consensum, seu pactum aliquod urgere impium, non tamen injustum est*. Et dato etiam speciali pacto de metu non inferendo, metum nihilofecius inferens datam fidem fallit equidem, & justitiam, seu fidelitatem violat: si tamen alter vi coactus vere consentiat**, vinculum obligatæ fidei dissolvitur, utpote quod consensu efficitur, & eodem rursus tollitur. Ut pro-

X 3

inde

inde etiam in hoc casu alterius fidem sibi obstrictam habere possit violentus promissor. Et certe si gens foedifraga post initam pacem armis recens illatis alteram Nationem ad novam, & durioribus conditionibus vestitam pacem cogat, hæc dein nova, & iniquo metu extorta pacificatio jure Gentium, & ipsius naturæ jussu abs dubio vim obtinebit. Quia tamen pietas naturæ rationali debita nulli consensui obnoxia, & sic nullo pariter annutu tolli potest §. 290; gens illa deterior tamdiu manebit impia, quamdiu impiæ pacis conditiones exigens Nationem innocuam a vinculo fidei datæ non dimittet.

* Voluntatem liberam illata vi urgere ad id, ad quod non tenetur, est contra reverentiam nativæ ejusdem libertati, & dignitati debitam. Talis enim invadit abs omni titulo rem, & facultatem, quæ neutiquam ad invadentis commodum, aut arbitrium est comparata; & ea infringit officia, quæ a §. 289 explicare incepi. Injustus tamen is ipse non est: nullo enim existente pacto fidem, & præsentis significationis justitiam, lædere non potuit, utpote quæ justitia ex pacto nascitur §. 1151.

** Si enim metum passus se vere obligare, verique consentire non velit, etsi verba proferrat, quæ id significant, dabitur simulatio pacti, non ipsum pactum metu extortum, de quo tamen solo disputamus. Et talis simulator fide sua, utpote quam non dedit, haud tenebitur,

bitur, mendax tamen, & sic delicti reus erit: eoquod ad evadendam vim etiam iniquam alterum in errorem inducere impium fit. Quod quidem ægre defendent ii, qui *justum* falsilorum ab omni culpa absolvunt §. 320.

§. 1160.

His jam ita firmatis colossum Puffendorfanum, gravem sane loco suo movere fors potero: scilicet metum iniquum inferens, & vi hujus alterum ad pactum, id est, ad obligandam fidem suam impellens potest pacti executionem petere salva fide, & justitia; & metum passus tenetur ex fidelitate, & pacto promissis stare. Violentus tamen exactor violabit pietatem, si innocenti illi, quem vinculo morali hoc impie constrinxit, hunc nexum fidei, & justitiæ non relaxet. Seu aliter, insistendo pactioni *impie*, non *injuste* aget: petendo enim, eam, de qua in hoc tractatu agitur, justitiam, & quam cum justitia eandem esse toties jam dixi, fidelitatem non lædit, eoquod fidem de non petendo nunquam dedit: alter vero exactioni, et si impie vi fidelitatis omnino tenetur deferre, cum ad hoc fidem suam vere obligaverit.

§. 1161.

Quare ex definitione juris §. 1151 inducitur *Vto*, ex pacto jus, & ex data fide

fide vinculum fidelitatis resultare, et si ad tale pactum *iniqua vi* quis adactus fuerit, seu quod idem est, contractus metu iniquo extortos de jure naturæ vim obtinere. *

* Fors dicet quis: „Pactum non potest esse „vinculum impietatis, seu quod idem est, „pactum de re turpi est nullum §. 1153. Jam „ut res aliqua in jure legitimi antea Domini „constituta ad impium invasorem transferatur, „impium, & proin turpe est. Sic ut Terræ „optimæ, CHRISTI insuper, & tot SSrum „Sanguine irrigatæ sub potestatem Christiano- „rum PRINCIPUM potius redigantur, extra „pactum, & ante obligationem fidei eviden- „ter melius est, quam ut sub jugo Barbaro- „rum misere squallere permittantur; imo no- „stris principiis §. 57, qui officium imperfe- „ctum non agnoscimus, eo ipso hoc poste- „rius est impium, eoquod contrarium sit me- „lius. Jam cum de re impia non possit dari „pactum §. 1153, Christiani non poterunt Sa- „racenis idem dare, de ditionibus illis nun- „quam amplius vindicandis. Et sic contra- „ctus metu iniquo evicti sunt tacite de re „turpi, & sic vel ex hoc capite nulli.“ Ve- „rum ex parte metum passi hi contractus non „sunt de re impia; nam per hos pars in- „nocens subeundo minus malum a majori, ac „pleno sui excidio liberatur. Si enim e. g. „Turcis non fuisset præstita securitas de reti- „nendis captis ditionibus; tunc nos utpote in- „firmiores ex prorogatione belli spem de re- „cuperandis plagis amissis *minus probabilem* pro- „secuti fuilemus, sed id cum *probabiliore* peri- „culo etiam reliquas, & denique totum per- „dendi. Unde nos obligando in Ecclesiam, &
civi-

civitatem pie egimus, nostramque conditionem meliorem fecimus: cum victis utilius sit aliquid tenere, quam omnibus exui. Idem de aliis metum passis; in horum enim utilitatem vim obligandi pactis etiam ad alterius impias minas constitutis natura ipsa tribuit. Sane si ex tali pacto miseri obligari non possent, tunc ab impio aggressore penitus interimerentur, aut adhuc graviori afficerentur incommodo; cum iste innocentem nullo juris vinculo constrictum perpetuo timere deberet.

C A P U T III.

De Errore, ex quo pactum fuit constitutum, item de difficultate illud implendi.

§. 1162. Error circa rem in pactum deductam, illud facile reddit irritum. Si tamen circa causam motricem erretur,

§. 1163. Per *Vitium* corollarium ex definitione juris §. 1151 intelligitur, ejusmodi errore conventionem non vitari.

§. 1164. Quatuor conditiones cuius pacto ex jure nature connatas asserunt. Et de tribus prioribus hoc facile conceditur;

§. 1165. De quarta tamen id per *VIIImum* confectarium negatur.

§. 1162.

Error pacifcentium potest versari vel circa rem, de qua convenitur, e. g. Tu stipularis tibi oleum, & alter promittit vinum. Et talis error vocatur *substantialis*, & tollit naturam pacti, quod est consensus de re certa, atque ex utriusque

X 5

inten-

intentione definita *vid. §. 958. & seq. & §. 979.* Alius error se habet circa causam *motricem*, de qua interesse putant, an sit *primaria*, vel *secundaria; finalis*, vel tantum *impellens* &c. sed id frustra, saltem quantum ad jus naturæ. Nihil enim potest esse causa moralis, nisi moveat; & nihil potest esse movens, nisi sit finis, nam amore finis totus actionum ordo progreditur.

§. 1163.

Jam cum ex iis, quæ priore capite disputavi, & demum maxime ex §. 1161, etiam illa pacta vim obtineant, ad quæ infirmior a fortiori metu, & minis permotus fuit; longe facilius, eaque *VIta* consecutio ex definitione juris & pacti promanans est §. 1151, & 1155, eas quoque conventiones stringere, in quas ignorans per causam malitiose ab altero convictam fuit inductus, seu quibus error dedit causam motricem. Mitius quippe, nec adeo impium est pacifica fraude aliquem ad consensum pellicere, quam incusso metu, velut aperta vi abripere. Omnium autem certissime mutuus consensus Auctores suos tenebit, etsi innocens, & fraude vacuus error eosdem ad paciscendum permoverit, nisi ea ratio fuerit in conditionem adducta: tunc enim non subsistente conditione consens-

sensus, ac proinde totum pactum corrueret §. 959.

§. 1164.

In omni autem contractu de jure seu naturali, seu civili quatuor conditiones subintelligi volunt: easque propinque a deo pacta afficere, ut eæ conditiones pactis congenitæ, eadem absoluta, & a conditione haud dependentia * relinquunt. Quorum 1^{ma} est: promitto, *si potero*. 2^{da}: *Salvo jure, & auctoritate superioris*. Nemo enim potest juri alterius præjudicium inferre. 3^{tia}: *Nisi is, cui promissio facta est, obligationem remittat*. 4^{ta}: *Si res in eodem statu permanserit*, id est, nisi res adeo difficilis reddatur, ut si id prævisum fuisset, promittens nunquam consensurus fuisset. Et quidem tres priores conditiones omni pacto de jure naturæ connatas esse, facile apparet: & etiam quartam ad idem jus pertinere certum est, si res, aut negotium ex honesto in turpe commutetur: vel si specialis difficultas præter opinionem emergens speciatim in conditionem allata sit. Et quidem id in aliquibus tacite, & ex consuetudine fieri solere haud gravate concesserim, e. g. in voto, vel etiam juramento; sic etiam debitores usque ad extremam inopiam solvere non coguntur &c.

* Con-

- Conventiones futuræ alicui conditioni alligatæ ante earundem eventum obligare non incipiunt §. 959: hæ tamen etsi in futurum conceptæ, non obfunt, quo minus actus, seu contractus *absolutus*, ac velut, a nulla conditione dependens mox obligari incipiat, si conditiones illæ ab ipsa lege subintelligantur, vel adesse ab eadem fingantur. Hæ inquam conditiones, quæ pactis de jure insunt, & quales sunt quatuor in hoc ipso §o commemoratæ obligationem non suspendunt, sed pacta plenum robur mox obtinere permittunt. *l. 3. ff. de Legat. I.* Sic e. g. donatio *Titio* facta Te mox itringit, eamque si aliud non obstat, mox facere teneris, etsi nescias, an non Princeps eandem pro Supremo jure suo irritaturus sit.

§. 1165.

Generatim autem omne pactum pro irrito declarare, quotiescunque res in eum statum pervenerit, quo existente pars obligata nunquam consensisset, ego quidem non auderem asserere. Si e. g. grando omnes segetes destruxisset, & victus inopiam inde timens 100 modios tritici non nihil majore pretio emisses: & exin præter omnem expectationem, ex aliena provincia in patriam nostram importaretur vis magna frumenti, ut proin hoc pro levi admodum pretio haberi queat; an propterea ab emtione discedere, & 100 illos modios in venditoris jure relinquere, tuasque, quas spondidisti, pecunias retinere aude-

audebis? Certe negotium in eum casum est perlatum, in quo emtionem tuam nunquam celebraffes. Vel vice conversa pretium frumenti fors præter opinionem summum esse incepit, an venditor pro illo, quod sub mediocri pretio sponndit, plus pecuniæ petere, vel rem tibi promissam retinere poterit? quare *VII^{timum}* ex §. 1151, & 1155 consecrarium habetur, de jure naturæ non irritari pacta semel, & absque conditione inita, etfi eæ circumstantiæ accedant, quæ, si prævisæ fuissent, alterutram partem a consensu absterruissent. Puta, nisi leges humanæ, publicus usus, vel etiam intentio *specialis* paciscentium aliud habeant.

C A P U T IV.

De illa divisione, qua jus, & proin ipsam justitiam in legalem, distiributivam, & commutativam partuntur.

- §. 1166. Tres potissimum in qualibet Republica respectus considerari possunt. Quia tamen
- §. 1167. Officia non ab iis, quibus; sed ex titulis, per quos debentur, naturam accipiunt: ideo
- §. 1168. Ex definitione juris *VIII^{va}* consecutio est, divisionem justitiæ in legalem, distiributivam, & commutativam adoptandam non esse.
- §. 1169. Sed per *IX^{num}* consecrarium etiam illa divisio justitiæ in attributricem, & explettricem rejicitur: as denique
- §. 1170. Per *X^{num}* justitia simplex, nullique divisioni obnoxia esse asseritur.

§. 1166.

Cum in omni communitate dentur tres respectus, tres pariter dabuntur obligationes, & jura. Aliqua enim *singula partes* debent *Toti*, id est, communitati: alia debet *communitas singulis civibus*: & denique non pauca *singuli* cives *singulis* itidem civibus præstare tenentur. Jam genus juris *primum* vocant *legale*; *alterum distributivum*, & denique *tertium commutativum* nominant. *

- * Vi primi juris, quod etiam generale vocant, cives tenentur leges observare, tributa pendere, Patriam defendere. Jus alterum obligat Rectorem Reipublicæ, ut onera, commoda e. g. Magistratus juste dividat, *geometricè* tamen, id est, non omnibus æquales partes, e. g. plus meritis majora emolumenta, pauciora iis, quorum merita minora sunt. Item divites gravioribus, parum vero habentes facilioribus tributis onerandi sunt. Denique tertium jus abs omni respectu ad conditionem Personarum jubet tantum cuique tribuere, quantum debetur; nescitque jus hoc aliam *proportionem*, quam *Arithmeticam*. Et ex hac ratione hanc solam ad restitutionem, si læsa sit, obligare volunt.

§. 1167.

Verum quia natura juris non ab eo, cui debetur, sed a titulo, ex quo debetur, proficiscitur §. 146 & seq. hæc divi-

divisio ab ARISTOTELE §. *Ethic.* inventa parum moralis est. Præterea an nexum, quo respublica coaluit, merum pactum esse vis, quod homines inter se æquales constituerunt? & tantum quilibet debet, quantum promisit: eritque hoc jus ex pacto natum mere tale, quod tu commutativum vocas. Vel vinculum reipublicæ altius, & pacto nobilius esse constituis? & obligatio inde nata penitus a justitia recedet, eamque superans ad aliquod genus pietatis pertinebit. Idem de obligatione Principis commoda, & onera juste distribuendi; vel enim ex pacto commune bonum curare debet, & sic in partitione facienda vi juris partitii tenetur ad id, quod communitati est optimum; vel alium sublimis illius officii fontem, & titulum a pacto diversum statuis, & mox negotium ex territorio justitiæ, ad illud pietatis transferes.

§. 1168.

Quare ex definitione juris §. 1151 inducitur VIII^{vo}, jus & justitiam non esse in *legalem, distributivam, & commutativam* tribuendam; eoquod scilicet ex pacto tanquam simplici titulo, non possint diversa officia oriri: neque solam justitiam *commutativam*, sed omne officium, si violatum sit, restitutionem exigere * §. 139. *

* Si

- * Si enim omnis obligatio, seu potius ea, qua obligatio nititur, æquitas propter se explenda, & honoranda sit §. 106, quanto magis digna erat, ut violata, & offensa velut placetur, & eidem digna satisfactione illata injuria abstergetur? - - Quia vero homini nihil debemus, nisi ex pacto, & beneficio ab ejus beneficentia accepto §. 273 & 274, sola fere circa pactum perfidia, & neglectum grati animi officium §. 1123, & seq. homini reparandum est. In reliquis cum solius DEI jus plerumque violetur §. 290, etiam plerumque sufficiet, vera pœnitentia offensum Numen placare.

§. 1169.

Et quidem divisionem juris, & justitiæ in *distributivam*, & *commutativam* nostra ætate plures non probant: quia tamen obsequia alteri debita *quædam necessitatis*, *quædam* vero *officii magis*, & *voluntatis* sunt, l. 17, §. 3. ff. *commodat.* ideo cum GROTIUS justitiam in *explettricem*, & *attributricem* dividunt*. Ego vero, siquidem systemati meo consulerem velim, ex mea definitione juris §. 1151 inferre debeo IX^{no}, nullum jus, atque inde etiam nullam justitiam ad merum arbitrium pertinere §. 57, sed omne officium arcte stringere**, atque etiam ejus partitionem in *explettricem*, & *attributricem* nullam esse.***

* Justi-

* *Justitia expletrix* ea est, quæ jure perfecto, & ex necessitate debetur; *attributrix* vero ad liberalem voluntatem pertinere, nullique exactioni subdita esse videtur.

** Quod aliqua sub levi tantum culpa stringant, lubens admiserim: quod vero aliqua debeantur officio adeo imperfecto, ut ea abs omni nævo ommittere liceat, & tamen ad justitiæ genus spectent, capere non possum. Si enim præstare bonum sit; non præstare non potest esse bonum: & proinde erit malum, cum inter bonum, & malum mea opinione medium non detur §. 48, & seq. & §. 57.

*** Sub justitia attributrice nihil aliud intelligunt, quam officia pietatis, quæ naturæ humanæ ex variis rationibus debentur. Hæc tamen officia sunt solidissima, non arbitraria, sed cum perfecta obligatione connexa: ad quæ aliquando humana sententia neminem cogit; urget tamen ad eadem explenda DEUS, qui violata pietatis jura, severe ulciscetur. Et quia insuper non ex pacto, sed aliis, diversisque titulis suam derivant substantiam; ad jus proin pactitium, & ad justitiam, qualis hic describitur, tanquam species ad genus suum respicere non possunt.

§. 1170.

Quare jure statuitur sequens, & X^{ma} conclusio: jus, & virtus justitiæ, de quibus modo disputamus, sunt simplices, nullas sub se species continentes, & sic nulli divisioni obnoxia. Ex simplici enim pacto, non nisi simplex officium haberi po-

Pars III. Th. Mor.

Y

test:

test: si vero pactum sit, vel esse tibi videatur compositum, exurgent quidem plura officia, seu jura, non tamen diversa; quæ proin numerum duntaxat augment, non tamen speciem mutant.

C A P U T V.

De Divisione juris in reale, & personale.

- §. 1171. Justitiam natura in defectum pietatis invenit;
 §. 1172. Cum alias pietas sola hominum indigentis sufficeret. Unde
 §. 1173. Ex definitione juris §. 1151 sequitur *XImo*, etiam occupationem ex pacto vim suam trahere:
 §. 1174. Et *XIImo*, nec jus reale, & personale, quantum ad vinculum juris, inter se differre.

§. 1171.

Occasionem, seu necessitatem pactorum ex defectu beneficentiæ, & pietatis recte petimus. Cum enim omnia cuique officia, quousque id per altiores obligationes licuerit, jam aliunde, ante omne pactum, & ex mera naturali pietate debeantur: omnibus jam per ipsam naturam satis provisum fuisset; neque egeremus, ut pactis, & arbitrio nostro novis alios officiiis nobis adstringamus. Nullo inter amicos dominio opus est: neque ipsas corporales operas sibi ab aliquo stipulari cogitur, pro quo,

quo, si indigeat, omnem conatum, & studium singulis hominibus ipsa natura imperavit. Quibus mire confirmantur, quæ §. 269 dicuntur.

§. 1172.

Atque hæc opinio ingens robur habet ab exemplo perfectissimæ societatis, quæ unquam extitit, scilicet ab Ecclesia prima illa Hierosolymis congregata: *Multitudinis autem credentium erat cor unum, & anima una: nec quisquam eorum, quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia.* ACTOR. VI.

32. Ut adeo perfectorum societas vel ex hoc pacto haud indigere videatur: & sic nostra hæc justitia, & officium fidelitatis non propter se, & necessario a natura inductum, sed ex accidenti tantum ratione, & in casum deficientis pietatis velut extra ordinem concessum esse non abs re cuiquam in mentem venire queat. Cum jam aliunde etiam ex mea sententia, omnia cuique homini officia, quousque illi eadem utilia, & pietati tibi, aut aliis debitæ non erunt adveria, adhiberi debeant §. 296. Quæ vero altiori sunt pietati obnoxia, alteri promittere non liceret, & proin promitti non possent, cum nemo ad omittendam pietatem adstringi queat. Ut adeo

Y 2

per

per sola officia pietatis naturæ humanæ factis consultum foret; si scilicet ea rite a quolibet expleri contingeret.

§. 1173.

Ego huic opinioni per omnia adstipulor *: & ex ea ipsa opinione dominia, & jura omnia ad originem suam, id est, ad pacta revocare pergo. Itaque DEUS omnia condidit pro omnibus, nullamque rem uni magis, quam alteri addidit, ea sola lege lata, ut pietas aliis debita fervetur §. 296, & ne ex rebus a se conditis ad alios, quam usus vere utiles adhibeantur §. 387. Et quia res plurimæ non sunt inexhausti usus, omnium seu necessitati, seu cupiditati sufficere non videbantur, ideo eas in quosvis partiri, & sic ex pacto dividere placuit. Atque conventio illa primæva, vel saltem apertus, & sensim, ac publice introductus consensus eousque se extendit, ut portionem sibi attributam quisque in alterum transferre, eique jus suum cedere posset: utque insuper res nondum existentes, vel nondum inventæ deinceps primo occupanti crederent, ab eisque omnes in gratiam occupantis abstinere promitterent. Quare eadem semper definitio §. 1151 facit inferre *XI^{mo}*, etiam occupationem, & orta inde

inde dominia, atque adeo jus *reale*, quod vocamus pacto suam substantiam debere. Vid. §. 1332.

- * Superesse quidem videtur aliqua pactorum necessitas, quam non sola impietas induxit. Scilicet in pari duorum necessitate, aut æquali utilitate res eadem utrique sæpe non sufficit. Jam dic, abs omni pacto quis eandem ad suos usus adhibere queat? *Petrus* dicet: in pari necessitate pietas in me superat pietatem alteri debitam. Ast idem dicere debet etiam *Paulus*. Sed est facilis responsio: res in hoc casu cedit occupanti, cui dein vim inferre ex officio pietatis prohibetur. Vid. §. 1332.

§. 1174

Jam vero *XII^{mo}* consequi videtur, jus *reale*, & *personale* quantum ad officium, & vinculum juris non differre, eo quod utrumque ejusdem naturæ, & speciei titulum seu causam, scilicet pactum præ se habeat, & omne officium sit tale, qualis est titulus, ex quo ortum suum duxit. Ut adeo æqualitas tituli pro æqualitate officiorum legitimum argumentum sit §. 146. *

- * Probe tamen advertendum, ex mea opinione in jure reali, & personali idem vinculum morale, non vero eandem in utroque materiam contineri. Certum quippe est, quod alia vi juris realis, & alia vi juris personalis alteri debeamus: & omnia officia juris realis negantia, ea vero quæ sunt juris personalis agentia

esse dicam inferius; ubi hanc divisionem so-
lam in explicando jure privato sequar. Sci-
licet hoc fit non, ut intelligatur, cujus na-
turæ sit obligatio, hæc enim in omni justitia,
& jure est eadem; sed ut sciamus, quidnam
debeat. Sic si *Petro* promisisti, te non pro-
hibiturum, quo minus per fundum tuum transi-
re queat; *Paulo* vero partem fundi te datu-
rum spondidisti: id quod in promissione ver-
satur, est diversum; promissio vero, & justi-
tia inde resultans est semper ejusdem naturæ.
Vid. 1280, & seq.

C A P U T VI.

*De iis rationibus, quibus vinculum
justitiæ dissolvitur, quæque sunt causæ
a restitutione vi juris Naturæ ex-
cusantes.*

- §. 1175. Vinculum juris *mutuo consensu* dissolvi, per *XIII-
tiam* consecutionem ex definitione §. 1151 discitur.
§. 1176. Sed idem *XIVto* inferitur, si res promissa *non
amplius in nostra potestate existat*:
§. 1177. Et *XVto*, si eadem per *altiores leges prohibita*
esse incipiat. Denique
§. 1178. Habetur *XVIIto* corollarium, quod jus alterius
perfidia fringere desinat.
§. 1179. Unde facile apparet, doctrinam Justitiæ natura-
lem, *facilem*, ac *brevissimam* esse; quodque solæ le-
ges humanæ eandem in *immensam molem* excrescere
fecerint.

§. 1175.

Tamet si arcta sint justitiæ, & fidei datæ
vincula §. 1157; non tamen omnino
insuperabilia sunt. Atque imprimis quia
ex

ex mutuo consensu sunt nata §. 1151, ex definitione ibidem stabilita intelligitur *XIII^{to}*, quod eadem *mutuo* pariter *consensu tollantur*. Ut adeo hic maxime vera sit prima regula juris: *Omnis res, per quascunque causas nascitur, per easdem dissolvitur.* *

- * Habetur hujus consecutionis clara ratio: tota moles justitiæ, seu fidelitatis nititur consensu; ergo hoc deficiente etiam ea, quæ eidem imposita sunt, ruere necesse est.

§. 1176.

Cum vero vinculum juris sit obligatio §. 1151, & proinde ad mores, & libertatem spectans; cumque nihil impossibile sit liberum *XIV^{to}* ex definitione juris eruitur, quod jus cesset, quamprimum res promissa *in nostra potestate* * *existere desinit*. Cum utique evidens sit, ad impossibile neminem teneri: idque non tantum, si res ante pactum in facultate nostra non sit §. 1153, sed etiam, si ex intervallo, & post contractum impossibilis esse incipiat.

- * Puta, si *simpliciter* in potestate nostra non sit: si enim difficillima tantum, & prout loquimur, moraliter impossibilis evadat, quantum ex jure naturæ firmitas pacti non emollitur. Sic Gentes cum ingenti molestia tributa hostibus promissa solvunt, neglecta certæ victoriæ spe, & cum ingenti periculo secururæ deinceps

cladis inducias servant. In negotiis tamen privatis maxima molestia ex communi doctrina, & usu, ac proin ex tacito consensu vim pacti mitigare solet: & alibi etiam ego *mora-lem impossibilitatem* inter causas a restitutione liberantes recensebo, utpote quam etiam ipsa tribunalia probant §. 1164.

§. 1177.

Quia insuper honestas rei, seu potius operæ promissæ æque, ac ejusdem possibilitas ad vim pacti est necessaria; pactum, & pacti effectus, seu jus cessare necesse est §. 1153, quamprimum id, quod spondidisti, *iniquum* efficitur: nihil enim magis implicat, quam ut jus, & justitia ad injuriam, & iniquitatem impellere dicatur. Et quia alterius cujusdam jus antiquius violare iniquum est; nemo potest ex pacto obstringi, quod cum jure, imo pietate alteri debita pugnat. Quare per corollarium *XVtum* habetur, vim pacti cessare, quamprimum id, quod promissum fuit, iniquum, aut impium efficitur: ut adeo perspicuum reddatur, superiores e. g. Rectores Reipublicæ, imo quemvis etiam privatum posse dissolvere, & irritare pactiones contra officium sibi debitum factas. *

* Ubi tamen probe explicandum officium *debitum*, non *merum* damnum: nam contra damna iniqua duntaxat, & impia; non vero contra

tra alia excipere possumus. Sic si Gens vicina cum alia negotiationes instituat, portum maritimum sibi opportunum ædificet, nos desuper conqueri, aut bellum movere, vel conventiones cum illa natione constitutas rescindere non possumus, etsi publica negotiatione decrescente insignia inde in nos damna redundent. Et quidem *prima* hæc conditio ad præsens negotium requisita est: requiritur insuper *aliq̄a*, scilicet ut pactum ab altero initum non tantum sit contra officium nobis debitum; sed ut insuper etiam damnum, & tale damnum inferat, ut pietas alteri debita ex circumstantiis negotii pietatem nobis debitam non vincat §. 296. Sic Pater non potest irritare promissionem filii, qua alteri aliquod obsequium sponndit, quod Patri, aut familiæ parum duntaxat obest; alteri autem plurimum prodesset. - - Utraque hæc conditio ad promissa aliena irritanda diversimodè nihilominus requiritur: nam ex defectu primæ frustra, & sine effectu quis contradicit pacto, id est, nequidem potest illud dissolvere; ex defectu alterius quidem simpliciter, sed non absque peccato potest conventionem aliorum tollere. Seu quod idem est, si alienus contractus nullum, quod nobis competit, debitum lædit; illius pactiois rescissio a nobis tentanda erit irrita: si vero debitum aliquod nostrum aggre diatur, sed quod ex pietate in alios negligere tenemur; tunc illius pacti dissolutio efficax quidem, sed impia erit.

§. 1178.

Denique nemo se fringere censetur, nisi etiam alter consentiat, & omne pactum

etum est consensus duorum, aut plurium
 §. 1155: ideo cessante alterius consensu,
 cessat pactum, & etiam prior, si velit,
 liberatur; sic enim pactum mutuo jam con-
 sensu tollitur. Si vero pars prior nolit a
 conventionem discedere: tunc uterque tene-
 tur, eo quod sicut hoc vinculum non nisi
 mutuo consensu induci, sic iterum non nisi
 utriusque voluntate tolli potest. Imo ne
 quidem potest intelligi obligatio, a qua ob-
 ligatus pro arbitrio discedere queat. Qua-
 re tandem *XVI*^{to} ex toties commemorata
 definitione §. 1151, recte docere mihi vi-
 deor, pacta, jusque pro innocente *ex per-*
fidia alterius dissolvi*; ita tamen, ut fi-
 deli duntaxat ex aliena perfidia libertas
 accrescat; iniquus vero ex sua iniquitate
 nihil commodi altero invito capere possit.**

* Forte hæ longæ deductionis ambages non pla-
 cebunt, & aliquis brevius dicet: injusto, &
 quod semper idem est, perfido contractus so-
 cio, fidem, & jus negare est legitima pœna,
 & quoddam vindictæ genus ab ipsa natura
 per sensum intimum dictatum.

** Et licet in alio negotio perfidiam commise-
 rit e. g. rem tuam destruendo, pecuniam ex
 mutuo debitam non solvendo: Tu tamen,
 quantum ex jure naturali, a pacto liberaris,
 ex quo eidem certam pecuniam titulo e. g.
 emtionis debes. In tali enim casu pro homi-
 nibus extra civitatem constitutis datur justum
 bellum, in quo iniquum adversarium occide-
 re,


re, & multo magis jure suo fraudare permiffum est §. 380, & feq.

§. 1179.

Et hifce juftitiæ fei fidelitatis doctrina, quantum ea ex jure naturæ obtinet, jam quoad præcipua capita absoluta eft. Scilicet *in iis, quæ in potestate tua, & a legibus altioribus permiffa funt, ferva fidem*: fei quod idem eft: fac, quæ altero confentiente fpopondifti, quousque per vires, & leges poteris. Ut proinde ex pacto nati juris, & totius naturalis juftitiæ, quousque ad præfentem tractationem fpectat, difciplina breviffima fit, & facillima. Atque hæc fola nos a natura docemur; reliqua, & totus ille juris & juftitiæ apparatus, & frepitus non vim pactorum, & juftitiæ indolem docet, fed tantum tradit quæ pacta inita, quæ ab hominibus, vel legibus conftituta, quibus nominibus ea infignita, quibus modis, & conditionibus veftita, quæ demum probata, aut reprobata fuerint. Ut proin reliqua potius ad quæftionem facti, & hiftoriam, quam ftrictam fcientiam fpectent: eoquod leges & conventiones ab humano arbitrio descendentes, actusque vere liberi nullum ante fe neceffarium principium, fed rationem fuam, utique maxime contingentem, mereque fortuitam in liberrima voluntate homi-

hominum inveniant *. Itaque ex ordine, quantum licet, narrandum, quæ potissimum pacta publica, & privata; constitutiones item, & præcepta edere diversorum arbitrio placuerit.*

- * Neque pactorum, juris gentium, aut publicarum legum dignitati per hoc quidquam detrahatur: cum etiam jus divinum arbitrarium ad classem contingentium, & in seriem factorum se referri patiat. Scilicet pacta, & datam aliquando fidem servandam esse, ratio, & natura *intus* clamat: fidem a te alicui datam, vel pactum aliquod a te constitutum fuisse, ex tua, vel alterius relatione, ope sensuum, & notitia *extrinsecus* adveniente discendum mihi est.





TRACTATUS XVII. DE LEGIBUS.

CAPUT I.

De origine Legum civilium.

- §. 1180. Cum etiam deficienti pietati subrogata *justitia* ad coercendos iniquos *non sufficeret*, contra hos
- §. 1181. Utpote *non homines*, sed *beluas magis*
- §. 1182. *Justa tandem vis* paratur. Ex quo dein
- §. 1183. Hominibus primo quidem *societatem*, & mox *civitatem* constituere necessitas, & periculum ipsum per-suasit.
- §. 1184. *Forma*, qua tantum corpus regeretur, est *triplex*,
- §. 1185. *Jure ferendi leges* necessario munita. Unde
- §. 1186. *Legum generalem notitiam* necessario ministrat Theologia nostra.

§. 1180.

Naturæ humanæ necessitatibus per omnia consultum fuisset per naturalem pietatem, siquidem homines hujus virtutis officia constanter explerent §. 1171. Quia vero sæpissime sensu magis, quam studio æquitatis ducimur, provida natura pacta, & ex pactis natum justitiæ & fidelitatis vinculum ad homines in officio continendos invenit, sapientissime arbitrata, hæc de-

demum vincula patienter, & modeste la-
turos esse homines, utpote quæ mutuo
consensu fabricata sponte, & suo arbitrio
sibi induerunt. Et sic hæc conventionis
lex maxime tolerabilis liberis mentibus esse
debet, utpote quam non a natura conge-
nitam patiuntur, sed quam sua voluntate
ipsæmet sibi tulerunt.

§. 1181.

Verum nec sic bono ordini, & homi-
num salutem consultum erat. Nam per-
fidi sua pacta infringere, & datam fidem
turpiter destituere solent, nec pietati, nec
justitiæ reverentiam habentes. Quare na-
tura jam nihil reliqui habens, eos, qui
nec naturalem, nec propriam, & sic pla-
ne nullam regulam sequuntur, necessario
quantum ad rationes morales ad conditio-
nem belluarum detrudit, ut, qui homines
iniqui, æque ac belluæ, nulla jam ratione,
sed solo impetu compescuntur. Et quo-
niam nullo jam titulo induci possunt, ut
nocere non velint, ipsa tandem violentia
ita coarctentur, ut nocere saltem non
queant. Quare

§. 1182.

Post neglectam jam pietatem, & viola-
tam insuper justitiam de jure naturæ
sequi-

sequitur *justa vis*, quæ nobis sub nomine *belli* venit *. Scilicet bestias has, quas nulla jam æquitatis ratio movet, arma demum submoveant: cum natura quidem homines sint; quantum ex voluntate, & moribus suis belluarum loco haberi ab ipsa natura jubentur. **

* Hic forte eos ratio fefellit, qui officia humanitatis, & arbitrariæ, prout putant, beneficentiæ, id est, genus pietatis ad officia imperfecta, & ad quæ nemo cogi queat, referunt: ea vero, quæ ex justitia debentur, perfecta, & coactionem admittentia esse volunt. Nam obligationes pietatis coactionem, seu vim forsitan non exigunt, aut forsitan ne quidem admittunt; eoquod post negatam nobis pietatem plerumque ope pactorum, & vi juris nobis consulere possimus: post contemptum vero officium justitiæ jam nullum superest aliud morale auxilium; unde illud physicum, a vi, & impetu veniens incipit. Attamen quantum ad efficaciam moralem præ vinculo justitiæ ex arbitraria, & contingente voluntate orto, illud pietatis officium longe antiquius, magis necessarium, non ex actu voluntatis, sed ex ipsius naturæ humanæ dignitate natum, & sic longe nobilius, magisque perfectum est.

** Atque hic tandem incipit **JUS** illud, si ita vocare velis, **HOBBIANUM**: *Tantum habes jurium, quantum habes virium*. Sed etiam in hoc casu non nisi tunc crudele hoc jus violentiæ obtinet, quando jus pietatis, & justitiæ prævie nobis suffragatur. Dum vero **HOBBIUS** initium omnis juris in vi, & impetu constituit, omnem juris, & honestatis notio-

notionem in nobis delere, nosque solis fere dentibus, & unguibus a belluis discernens; omnem justitiam, atque ipsam humanitatem hominibus abrogare, homo impius, atque ad dedecus naturæ humanæ natus, pari perfidia, ac impietate conatur.

§. 1183.

Quia tamen vis, anceps remedium, & parti meliori quandoque magis, quam parti iniquæ noxia est: ideo pro tuenda justa causa socios adsciscere, pluresque recte sentientes in idem fœdus jungere necesse fuit; & sic quidem societas, nondum tamen vera civitas habebatur *. Cum vero etiam in hac arcta æque, ac in amplissima omnium hominum societate quidam in alios socios iniqui, & in servandis societatis conditionibus parum fideles darentur, & infinitas discordias excitari contingeret; ideo potestatem circa lites judicandi, iniquos coercendi, denique commune bonum omni ratione curandî, alicui concedere singulis placuit. Et sic jam non simplex, & ex æqualibus membris composita societas, sed ex inæqualibus, id est, ex præcipientibus, & obedientibus constituta civitas prodiit.

* Sic etiam nostra ætate nemo dicet, quod duæ e. g. liberæ gentes, aut duo summi Principes eandem civitatem forment, si unus alteri socius belli, aut defensionis accedat. Per hoc duo socii, non duo cives efficiuntur.

§. 1184.

Hanc verò amplam adeo, & maximi momenti potestatem, aliqui toti populo commiserunt: ubi dein singuli jam obedientes; omnes vero, aut certe major eorum pars imperantes sunt. Hancque regiminis formam **DEMOCRATIAM** vocant*. Alicubi eadem regnandi facultas ad præcipuos de populo delata fuit; ut talis exinde civitas **ARISTOCRATIA** diceretur. Et denique frequentissime summa rerum in unum congesta, & tale imperium **MONARCHIÆ** nomine insignitum fuit.

- * Mirum in modum de hac forma regiminis lætantur, eamque aureæ libertatis pretioso titulo exornant, ultimis periculis & calamitatibus eandem aucupantes. Et forte verum id erit: unum tamen intellectu difficile est: cum communia onera, leges, judicia &c. ubique ferenda sint, si Rempublicam salvam esse velimus; quid demum interest, an ea ab uno, vel pluribus imponantur? Num ea vincula reapse leviora sunt, ad quæ cudenda manum admovere etiam tibi concessum fuit?

§. 1185.

Cum autem tanta multitudo ad eundem communis felicitatis finem dirigi nequeat, nisi imperantis voluntatem singuli promte sequi teneantur; ideo summam potestatem alicubi collocando singuli seu po-

Pars III. Th. Mor. Z pulo,

pulo, seu Senatui, seu Principi obedire sponponderunt: atque sic is, quiscunque dein Rempublicam gerens omnibus imperandi, atque leges ferendi facultatem obtinuit, ut adeo hac jam ratione *origo legum* intelligatur.

§. 1186.

Atque ex tota imperantis potestate solas leges, easque generatim tantum, necessario tamen spectandas sibi sumit Theologia nostra. Cum enim hæc a politica potestate conditæ leges vere, & in conscientia stringant; easque ex civili jurisprudentia scire Sacerdoti plerumque non detur, eas vel sic, & ex Theologia hac morali discere debet, nisi frequentissime errare velit.

C A P U T II.

De Natura legum.

- §. 1187. Jus omne vel *publicum*, vel *privatum* est.
 §. 1188. Prius tamen illud non ex pacto, sed proxime ex *decreto quodam Divino* petunt aliqui,
 §. 1189. Ejusdem *dignitati*, non item *amplitudini* per hoc consulentes: sed
 §. 1190. Rectissime illud *ex justitia*, & *communi pietate* componitur.
 §. 1191. Ex quibus etiam *indoles legum humanarum* intelligitur: quæ
 §. 1192. Vim etiam *in conscientia* quam maxime obtinent;
 §. 1193. Et in *scriptas*, ac *non scriptas* recte dividuntur.

§. 1187.

§. 1187.

Omne jus ex pacto nascitur §. 1151, cumque aliqua pacta homines ad communem, & *publicam* felicitatem, alia vero ad *privata* emolumenta constituent: etiam genus juris in *publicum*, & *privatum* dividunt. Jus publicum, & eminens consistit, seu potius producitur per illa pacta, de quibus a §. 1183 agitur: maxime vero jus illud consistit in illa potestate regnatrice, qua civitas componitur, quæque magno huic corpori pro anima est, quam denique vitalem illum spiritum, quem tot millia trahunt, recte vocaveris.

§. 1188.

Sed cum nobile hoc, & excelsum vinculum, & tantæ navis validissimus clavus de genere moralium, & ad classem officiorum spectans negotium sit; merito quæritur, ad quam virtutem referri debeat, aut quam naturam sibi obtineat. Itaque aliqui arbitrantur, cum homines mero consensu, & arbitrio in societatem, & mox in civitatem coiverint §. 1183, merum hic pactum, & fidem versari, totamque causam ad justitiam pertinere. Quid enim ex mutua voluntate, seu pacto, atque ex fide data aliud, quam justitia, & fidelitas

Z a

orie

oriatur? Alii vero aliquod jus divinum, non quidem ad gratiam, ad liberum tamen DEI decretum spectans statuunt, ita ut consensus singulorum supremum jus vel in populum, vel ad magnates, vel denique ad unicum Principem conferentium sit mera conditio, qua data dein DEUS ipse tanquam providus naturæ RECTOR speciale jus regenti conferat, quo dein jure tanquam vinculo divinitus dato respública contineatur juxta illud, *ad Roman. XIII. Non est enim potestas nisi a DEO: que autem sunt, a DEO ordinate sunt. Itaque qui resistit potestati, DEI ordinationi resistit.*

§. 1189.

Atque hi dignitati dominantis potestatis, nobilem adeo originem eidem afferendo, ample consulunt: ejus tamen efficaciam, & latitudinem non satis definiunt. Quantam enim facultatem, & quam amplum jus ei, qui Rempublicam gerit, DEUS conferre voluerit; hoc utpote a Divino arbitrio pendens non nisi conjectando afferent: præcipue cum palam, & multoties appareat, potestatem regendi in diversis gentibus diversam, & modo amplio-rem, modo vero arctiorem existere. Solum autem pactum, quod prior sententia vult, supremæ huic potestati tanquam fundamen-

damentum substruere non tantum dignitati, sed etiam efficacitati ejusdem derogare videtur: nemo enim facile se, suaque omnia in aliorum utilitatem impendere voluerit, & prout videtur, salva pietate sibi ipsi debita ne quidem potuerit. Rector autem quandoque difficilia, & maxime ardua præcipere non raro debet, e. g. ut miles cum certo vitæ periculo stationem suam tueatur. Ubi jam ægre intelligitur, qua ratione quis pro aliena salute mori spondere potuerit.

§. 1190.

Itaque res sequentem in modum explicanda mihi videtur. Primigenium illud reipublicæ pactum, quodque in jure romano *legem regiam* vocant, est sive causa, sive conditio prout volueris, certe mensura, ad quam potestas regnatricis modo amplior, nunc vero restricta magis apud aliquem, vel plures existit. Cum vero communi, ac publicæ salutis destinata sit, eamque pro fine habeat, communis hæc tot hominum salus res maximi momenti esse incipit. Cujuslibet enim hominis natura nobilis admodum, & omnibus quodammodo officiis, ac maxima pietate est digna §. 296, & seq. ut proin publica & communis pietas adeo excreseat, ac velut toties multiplicetur, quot capita, seu

homines ea civitas complectitur. Jam pietas sibi ipsi debita major equidem, ac fortior est, si cum pietate alteri, vel forte etiam pluribus debita componatur: eadem nihilominus pietas etsi propria, minor tamen esse incipit, si cum salute plurium, aut saltem plurimorum pugnet. Menti enim rectæ, & solius æquitatis studiosæ satius esse debet, omnes potius, quam se solam salvam esse*. Ut adeo hic specialis pietas, quamque plurimorum natura humana meretur, nascatur: & sic quod erat in quæstione, potestas regnandi non solius justitiæ, sed etiam pietatis naturam participat, virtutis moralis duas supremas species §. 274 sociatas complectitur, & ex duplici debendi titulo, velut bina radice, vim duplicem trahit.**

* Neque liberali adeo sui ipsius ad publicam plurimorum utilitatem consecratione pietati propriæ quidquam detrahitur; si generatim, & tempus constituti hujus pacti, & ipsum negotium expendamus. Licet enim magna hac conventionem se quisque plurimis, & ad valde ardua obligaret, attamen vicissim plurimos, & ad æque difficilia sibi adstrictos obtinebat. In ipso tamen usu utique votis omnibus exoptandum foret, ut publica onera, & favores, quantum licet, æquissime dividerentur; & non aliqui medulam reipublicæ comederent, reliquis vero nil nisi ærumpas ex sua civitate capientibus §. 1145.

• Pro.

“ Probe tamen adverte, me hic de natura, & efficacia legum civilium agere: aliud enim de legibus sacris; hæ enim non ex pacto, sed ex ea jurisdictione descendunt, & naturam suam fortiuntur, quam jurisdictionem CHRISTUS sanguine suo promeritus, in Ministros suos diversa mensura dispensavit. Ut adeo sacrae Leges totam vim, & indolem suam ex ipsa gratia petant, totius naturæ ambitum sua dignitate superantes. *Vid. §. 1046, § 1049.*

§. 1191.

Si hac jam ratione potestatis regnatricis, etsi profanæ genuina, & excelsa indoles solide intelligitur: facile etiam earum, quæ ab hac auctoritate descendunt, legum natura explicatur. Neque enim istæ a sua causa diversam, aut degenerem naturam habere possunt. Scilicet trahunt ab ea vim pietatis, & justitiæ, ut adeo delictum e. g. furtum ex eo deterius evadat, si etiam lege politica prohibitum sit; quam si nulla lege humana desuper existente soli juri naturæ adversaretur. Et hæc malitia reapse duplex omni peccato legi humanæ contrario communis, semperque eadem est: ipsa tamen delicta præceptis, ac decretis publicis interdicta præter communes has, & mox commemoratas malitias insuper diversam, atque ad varias species pertinentem iniquitatem involvunt pro diversitate rationum, ex quibus talis constituta est. Sic

e. g. edictum aliquod periculosa arma deferre vetans, & aliud diversi sexus conventicula prohibens forte promulgatur. Jam qui prius violat, contra reverentiam vitæ humanæ debitam peccat; qui vero posterius transgreditur, in cultu castitatis deficit, eoquod hæc duo officia diversarum legum justæ, sed diversæ causæ extiterint: prout alibi jam dictum fuit §. 690, 692.

§. 1192.

Ex quibus jam nihil verius esse potest, quam constitutiones etiam humanas tantum, & a profana licet potestate conditas veram, & *in conscientia*, ac aliquam saltem, plerumque ante omnem sententiam, aut judicium *stringentem vim* obtinere. Id quod APOSTOL. *ad Roman. XIII. 5. & seq.* docet: *Ideo necessitate subditi estote, non solum propter iram, sed etiam propter CONSCIENTIAM: ideo enim & tributa præstatis: Ministri enim DEI sunt, in hoc ipsum servientes &c.* - - Et quia propter immensitatem legum, & in diversis civitatibus' incredibilem earundem diversitatem omnes discere, aut describere in humanam facultatem plane non cadit; hæc tamen in conscientia nihilominus vim obtinent; is, qui de rebus conscientię judicare debet, generalem saltem, omni-

omnibusque legibus communem doctrinam sibi comparare necesse habet. Licet verovim potestatis legislatricis, atque nativam legum conditionem, atque eas earundem dotes, quas ex jure naturæ hauriunt, mox explicaverim §. 1190, & seq. singularum existentiam, sensum, & circumstantias, utpote quæ omnia a præcipientis arbitrio dependent, difficulter adeo docemus, ut hæc omnia non tam legitima institutione ostendere, quam singula subinde, & abs ordine recensere liceat.

§. 1193.

Inprimis lex generatim in *scriptam*, & non *scriptam*, seu eam, quæ moribus introducitur, necessario dividenda est; & mox utriusque definitio rerum ad legem generatim pertinentium aliquod seu principium, seu compendium ministrabit; ex quo si non necessaria consecutione, saltem non in congrua connexionem pleraque capita deduci poterunt.

C A P U T III.

De Materia Legum, seu de iis, quæ præcipienda sunt.

§. 1194. *Lex humana est recta agendorum regula subditæ communitati denunciata, qua publica potestas eandem*

communitatem ad aliquid faciendum, vel omittendum perpetuo obligare vult. Unde jam

- §. 1195. Sequitur *Imo*, nil contra jus naturale, aut Divinum præcipi posse: *Ido non esse in arbitrio Legislatoris legem ferre, vel non ferre: attamen IIItio*
- §. 1196. *Judicium de necessitate legum non esse in arbitrio subditi populi.*
- §. 1197. Item *IVto*, leges nihilominus non nisi ad publicam utilitatem tendere posse, ita
- §. 1198. *Ut Vto utilitas legum earum difficultatem superet.*

§. 1194.

Legis scriptæ jam sequentem definitionem statuo: *Lex est recta agendorum regula subditi communitati * denunciata, qua publica potestas eandem communitatem ad aliquid faciendum, vel omittendum perpetuo obligare vult.* Quam quidem definitionem communis in eam consensus probat, atque legitimæ exinde collectæ doctrinæ plurimum confirmabunt.

- * Hic enim de lege communi, non de simplici, & privato præcepto agimus, quod etsi a potestate superiore descendat, a lege tamen in multis differt. Nam *inprimis* ad præceptum non requiritur auctoritas publica, sed sufficit privata: sic Pater præcipit filio. Et licet a publica non raro potestate proficiatur; *2do* tamen in eo præceptum a lege differt, quod hoc communitati, & omnibus, illud vero non nisi singulis feratur. Unde *3tio* cum subditis, vel cum præcipiente moritur: *4to* tamen præcepta subditum etiam extra territorium degentem comitantur; leges vero soli territorio inhaerent.

§. 1195.

§. 1195.

Quia jam lex est *justa agendorum regula*: nihil vero homini ex jussu humano potest esse justum, quod legi naturali, aut divinæ adversum est; ideo sequitur *Imo*, nihil contra jus naturæ, aut Divinum a quacunque potestate humana posse imperari. Unde Senatui Judæorum prohibenti, ne Evangelium, & CHRISTI Divinitas prædicaretur, PETRUS, & JOANNES responderunt: *Si justum est in conspectu DEI, vos potius audire, quam DEUM, judicase.* Cum vero omnis humana actio consideratis omnibus circumstantiis jam a lege universalis, & sine ultimo totius universi regulam aliquam patiatur §. 57; & sic ex duobus sibi contradicentibus tantum alterutrum possit esse justum: ideo *II^{da}*, & gravis consecutio statuitur, non esse in arbitrio Legislatoris legem ferre, vel non ferre, eo fere modo, prout supra de Rectore Ecclesiæ dicebam. Sed si legem extare æquius judicet, debet eam ferre, ne maximi nominis potestatem otiosam detineat, neve maximæ pariter, & publicæ pietati desit: si vero legem dari minus, aut pariter æquum videatur, ab eadem condenda omnino abstinere debet, ne communitatem gravi vinculo constringat, ex quo detrimentum, aut certe

certe nulla utilitas consequetur, quæ absque lege non fuisset consecutura *. *Vid. §. 1160.*

* Est profecto aliquid sub lethali peccato, & periculo æternæ damnationis aliquem obligare: quid vero erit totam communitatem, & tot millia hujusmodi horrendo vinculo, & quantum ex vi legis perpetuo adstringere? Præcipue cum a jure naturæ tot, & tam arctæ obligationes existant: leges vero humanæ tam sacræ, quam civiles fere numerum excedant, quarum multæ ad privatum quemdam casum lætæ, pluries onerant, donec semel profint.

§. 1196.

Licet vero usum supremæ potestatis in condendis legibus parcus, ac delicatus admodum, & ab arbitrario placito alienus esse debeat: attamen infertur *III^{tio}*, in iis, quæ per circumstantias mutari, & ex deterioribus meliora fieri queunt *, Subditos a servanda lege plerumque non eximi, etsi probabilius videatur aliquibus, melius fore, si lex non existeret. Nam eo ipso lex, aut potius legis materia melior efficitur, quod præcepta sit: ne alias vis legum in judicium cujusvis collata penitus langueret. Hoc vel in pactis privatis patet: sic indigens aliquis cibum aliquem rectius caperet, quam alteri relinqueret, qui eo ad luxum abusus est; id enim pietas in
utrum-

utrumque suaderet, scilicet ut priori necessaria sustentatio, alteri vero materia peccati subtrahatur. Ast postquam cibus ille jure, id est, ex pacto ad luxuriosum illum pertinet, justius, & in totam societatem humanam etiam magis pium est, privatæ pietati deesse: ne sub obtentu majoris pietatis fides & pacta passim infringantur, & communis tranquillitas extremum periculum subeat. Vid. §. 1161. Licet talis Reipublicæ Rector minus pie, imo etiam inique agat, nisi legem remittat. §. 1177*.

- * Quæ vero ex circumstantiis aliam, & novam conditionem accipere non possunt, & quæ a jure naturali, & divino non tantum præcepta, sed etiam quoad modum perpetuo definita sunt, & denique de quibus in utramque partem pacisci nunquam licet; hæc inquam, non possunt executioni dari, etsi lege humana præcepta sint. Huc pertinent ea, quæ *intrinseca mala* vocamus; item cultus veræ religionis; item ea omnia, quæ spem salutis, & gratiæ difficillimam reddunt &c.

§. 1197.

Verum dos justitiæ, ac rectitudinis ad legem requisita §. 1194 docet *IV^{to}*, nunquam nisi ad publicam utilitatem legem decerni posse: non enim, ut omnia alia omittantur, cum pietate naturali sat convenit, ut omnes in unius emolumentum patiantur, cum potius privata etsi propria pie-

pietas pietati publicæ subdatur §. 1190. Potest tamen aliquid in privati favorem publice imperari; si scilicet communitatis interfit, talem remunerari, vel felicem esse: sic enim lex talis in privato illo minime sistit, sed per singularis hominis felicitatem in commune bonum definit.

§. 1198.

Multi ad justitiam, & humanitatem legum pertinere volunt, ne nimis *ardua* præcipiantur. Et quidem pietas in naturam humanam excelsam admodum, & alias sub calamitatibus præsentis exilii vehementer laborantem hanc legis conditionem omnino commendat: cui insuper robur addit periculum majorum malorum, eoquod difficiles leges difficiles plerumque exitus habere soleant. Verum quam *ardua* possunt esse leges? ubi limes inter tolerabile, & justo difficilius? Gravius vix quidpiam erit, quam in apertam mortem ruere, an Imperator militi id præcipere non potest? Quia vero detrimentum non intelligitur, nisi eo, quod inde redundat, commodo majus sit *; eæ demum per *Vtunt* corollarium leges justo graviores sunt, quarum onus, & damnum majus est, quam utilitas ex iis expectanda. **

* Hic

- Hic vero plurima consideranda sunt: e.g. quoties lex profutura, quoties oneratura sit, (lex debet utilis esse; ad nocendum enim non datur potestas) utilitas non incipit, nisi detracto jam damno: itaque quod plus molestiæ, quam emolumenti affert; etsi afferat aliquid commodum, utile tamen esse non potest. - - Item an leges copiosæ existant: multitudo legum singularum auctoritati aliquid detrahit. Mens humana infinitæ observantiæ, ac reverentiæ non est capax; unde singulis legibus aliquid reverentiæ decedit, si ea in plurimas dispensanda sit. Res etiam maximi momenti assiduitate vilescunt. - - Rursus lex noxia, imo otiosa, & inutilis tantum cogitari non potest. Cum itaque lex omnis debeat esse utilis, magno opere curanda est vera utilitas. Multa sub ratione utilium accipimus, quæ nil nisi detrimenta sunt. Bonus est solus DEUS: reliqua sunt bona utilia, id est, quousque ad adipiscendum DEUM faciunt, quem quidem, quantum ad præsentem vitam solo studio justitiæ assequimur §. 180, & 181. Etiam publica civitatis, imo totius generis humani commoda, non nisi ab ultimo fine veram æstimationem accipiunt.
- Demum requirunt, ut *directe* non nisi actus externi, & sub sensus cadentes præcipiantur. De internis enim non nisi solum DEUM constituere arbitrantur. Et ista sententia adeo pertinaciter utrumque forum obtinet, ut ne dum in civitate, sed ne quidem in ipsa Ecclesia aliquid præceptum, poena, censura &c. in actum mere internum statuta habeatur. Nostra tamen ætate sacræ Potestati vim etiam *directam* in actus mere internos passim tribuunt, etsi illa ad usum ex stylo curiæ nunquam adhibeatur. *Detritæ* adeo controversiæ
 nolim

nolim me ingerere : id solum expendi velim , quod vis præcipiendi moralis , & sic in actus morales (quales sunt soli interiores illi , a mente proxime editi) proxime , & *directe* comparata sit . Quæ si rite æstimentur : facile quis mecum dubitabit , an non in actus ipsius etiam mentis proxima , & *directa* facultas competat potestati nedum sacræ , sed etiam profanæ . Magnopere quidem ad utilitatem interest , non tantum mala non efficere , sed ne quidem decernere : decreta enim nondum ipsum malum , præsentissimum tamen mali periculum , & sic jam solidum malum inferunt . Vel an omnes eas leges accusabis . quæ proxime , & *directe* non contra ipsum damnum , sed contra sola damni pericula constitutæ fuerunt ?

C A P U T IV.

De subjecto legum , seu de iis , in quos leges feruntur .

- §. 1199. Ex definitione legis §. 1194 *Vita* consecutio est , quod leges *proxime non homines* , sed *territorium* efficiant .
- §. 1200. *VII*ma vero , quemlibet a lege liberari , vel *stringi* mox , ac pedem ex ea regione extulerit , vel eandem ingressus fuerit .
- §. 1201. Item *VIII*va , plerumque non esse fraudulentum studio *evadendæ legis* alio migrare .
- §. 1202. *IX*na , Singulos ex imperante Senatu ;
- §. 1203. Non tamen , quæ est *X*ma , ipsum *Principem* , qui solus legem tulit , sua lege obstringi . A qua tamen
- §. 1204. Per *XI*mam consecutionem nec *hæretici* , nec *perduelles* eximuntur .

§. 1199.

Proprii nominis leges proxime in territorium , seu communitatem feruntur * .

At-

Atque ita communis fert sententia ex *l. 9. ff. de justit. & jur.* in qua habentur sequentia: *Quod quisque populus ipse sibi jus constituit, id ipsius proprium civitatis est; vocatur jus civile, quasi jus proprium ipsius civitatis.* Quare lex recte definitur, quod sit *subdita communitati denunciata*, & facit intelligere *VI^{to}*, quod singuli homines non proxime, sed per territorium aut communitatem vi legis afficiantur. Non quidem quasi in locum aliquem, aut materiatum spatium possit cadere vinculum morale, seu lex; sed quod homines lege non stringantur, nisi in eo territorio existant. Unde territorium tantum fingitur esse subjectum legis, reapse enim est conditio duntaxat, sine qua singuli legibus non stringuntur, nisi in eodem existant. Quod ipsum habet *c. ultim. de constitut. in 6*, ubi subditos facit immunes a legibus, si in territorio non existant. - - - Quod modo de territorio dictum est, id etiam de communitate intelligi debet: nam etiam communitas sicut propriam, ac per omnes cives diffusam libertatem non habet, ita neque legis est capax.

* Ad id autem, ut alicubi vera lex constitui possit, requirunt ex communi sententia perfectam communitatem, id est, talem, quæ proprium aliquem Rectorem habeat, qui etsi minime supremam, aliquam tamen jurisdictionem

Pars III. Th. Mor.

A a

exer-

exercet. Sic vicus proprio Magistratu, aut Prætorè, & iudice carens non capit legem, sed solius præcepti, aut decreti est capax.

§. 1200.

Cum itaque lex per mediam quasi communitatem singulos afficiat, seu quod idem est, communitati sit scripta §. 1194; ideo docetur *VII*imo: cives mox, ut territorio excefferint, illius territorii legibus solvi *c. ultim. de constitut. in 6*, & quæ fere eadem est consecutio, Peregrinos quamprimum pedem in territorio fixerint, legum vinculo constringi. Et quidem ex probabiliore opinione id verum est, etsi brevi admodum tempore ibidem commoraturi sint. Prout de interdicto locali certa habet sententia, & firma ratio suffragatur: nam ad vim legum non attenditur domicilium, vel quasi domicilium, neque alia mora in jure statuta est. Denique quidquid pro adversa opinione dicitur, fere pro arbitrio affirmatur. *

- * Ignorantia, difficultas sciendi, vel obtemperandi equidem non raro eximunt a lege peregrinos; sed tunc scilicet si talia adsunt: non vero generatim, & quoscunque advenas. Hi enim si in civitate propinqua habitant, vicinæ communitatis jura optime nosse, & in eam delati facillime plerumque observare possunt. - - - Unde qui mane ex loco, in quo dies ille festus est, discedit, debet prius interesse

esse sacro, si post ultimum sacrum ibidem celebrandum discedat: secus si post discessum alia in illo loco sacra habeantur; nam in momento discessus nemo ibidem, & sic neque viator definite præceptum explere tenetur, cum quilibet ultimum, quod superest Sacrificium expectare queat. Sic ratione itineris mane quandoque jejunare, & nocte carnes comedere, vel vicissim continget. Siquis ad locum antiqui Calendarii deferatur, jejunium ultra 50 dies protrahere debet: si vero ex loco antiqui Calendarii ad locum recentioris migret, aliquando ne quidem 40 diebus jejunare cogetur. Paucis: sequere leges territorii, in quo degis; & legibus per omnia satisfacies.

§. 1201.

Cum porro lex ex sua natura in territorium, & communitatem tendat §. 1199: ideo pluribus vehementer invitis, & utique minime certum, mihi tamen probabilius confectarium *VIII^{vum}* statuitur, neque illum delinquere, qui *studio evadendæ legis ex territorio migrat*, vel vicissim locum aliquem accedit, in quo speciale aliquod privilegium (puta communitati, non singulis concessum) viget. E. g. si Italus pro usu *lacticiniorum* in Germaniam migret.*

* Equidem hic fraudem in leges committi volunt: sed fraudem non intelligo in eo, qui naturam legum utique territorio affixarum sequitur. Fingamus duas vias per eandem

provinciam paratas haberi: in via tamen recentiore occurrere vettigal, forte ad refarciendas viæ recens stratæ impensas erectum. Jam *Titius* per viam antiquiorem etsi non nihil molestam magis tendit, ut crumenæ suæ parcat: quis dicet, *Titium* per fraudem illi viæ instituisse? Nisi fors specialis desuper lex existat, quæ utique causam mutaret. Argumentum ab eo ductum, qui ex loco promulgati CONCILII TRIDENTINI ad locum, ubi non est promulgatum transit, vide §. 994 **.

§. 1202.

Definitio legis habet, quod ea *subdite communitati* denuntietur, ideo ex ea infertur *IX^{no}* singulos Concilii Patres, item singulos Collegii legem condentis Senatores lege omnino obstringi; singilatim enim considerati manent subditi, cum tantum totus Senatus collectim spectatus Rectoris locum teneat. Alias certe nullus ex toto populo lege aliqua in regimine democratico teneretur; eoquod in isto ipse populus Legislator existat. Nihilofecius tamen ex eadem mox commemorata definitionis particula.

§. 1203.

Habetur *X^{mo}* ipsum PRINCIPEM legibus a se latis non obligari *. Sic PONTIFEX liber est a legibus Pontificiis, IMPERATOR, aut REX a statutis regiis immunes

munes manent. Hi enim quantum ad has leges sub nulla ratione sunt subditi: impossibile autem est, uti dem sibi ipsi imperet, & sic seipso major simul, & minor fit.

- Quantum vero ad eas leges, quæ in conditionem Principis æque, ac in subditos eadunt, e. g. ne peregrinæ merces in provinciam importentur, etiam Principem non quidem vi *coactiva* teneri recte docetur: id est, Princeps talis legis vi propria, aut sub periculo incurrendæ poenæ non stringitur; tenetur tamen eandem observare boni regiminis, & exempli causa. Augustum enim exemplum efficacius plerumque est, quam Imperiale mandatum ad legem aliquam in mores inducendam.

§. 1204.

Ex eadem ratione, quod lex *communis* *tati subdita* fit lata §. 1194, consequitur *XI^{mo}*, etiam hæreticos quantum ad leges sacras, & seditiosos quoad leges politicas obligatos manere: neque enim sua pervicacia ex legitima potestate, cui subditi erant, deinceps se emancipare poterunt. Unde matrimonia hæreticorum sunt nulla, si impedimentum etiam ex jure ecclesiastico tantum dirimens intercedat. Aliud de Judæis, Mahumetanis, Gentilibus, qui per baptismum Ecclesiam nunquam ingressi, eidem, & ejus legibus utique non tenentur. *

- Neque hæreticos consuetudo qualiscunque iuvat: nam Ecclesia huic consuetudini perpetuo resistit; quæ insuper vera est corruptela, eoquod non tantum neglectum, sed etiam contemptum legis, & potestatis legem ferentis involvat.

Sic etiam perduelles civitatis suæ legibus non solvuntur, etsi territorio excedant, aut licet Princeps fileat, eosdem non persequatur &c. Nam etiam extra territorium manent subditi quantum ex jure naturali: eoquod illud pactum, quo aliquando huic civitati addicti sunt, secum ferant. - - Quod leges extra territorium existentes plerumque non teneant §. 1200, & 1201, non ex eo habetur, ac si Rector civitatis absentes non *possit* obligare, sed quod vi legis ordinariæ eos obligare non *velit*; prout ex *c. ult. de constitut. in 6*, & ex propriâ, ac recepta notione legis colligitur. Certe si extra territorium non daretur subditus, absentes nec præceptis stringerentur; quod ut puto, nemo asseret. Unde

Licet alias extra territorium a legibus soluti maneant cives, seditiosos tamen absentia non iuvat: hi enim ipsam potestatem contemnunt, aggrediuntur &c. Talis autem legum neglectus nunquam non est malus. Et hæc est etiam ratio, cur hæreticos nulla consuetudo juvet: contemnere enim legem intrinsece, ac perpetuo malum est.

C A P U T V.

De Promulgatione, & acceptatione Legum.

§. 1205. Definitio legis facit de *promulgatione*

§. 1206.

- §. 1206. Inferre *XII*mo, saltem aliquam publicam denuntiationem legis requiri. Arbitrarium tamen
- §. 1207. Legislatori videtur esse, an in pluribus locis solemnem promulgationem velit requirere.
- §. 1208. De privata vero denuntiatione, seu potius notitia infertur *XIII*to, eandem etiam singulis hominibus necessariam esse.
- §. 1209. De acceptatione legis
- §. 1210. Docetur *XIV*to, eandem minime requiri:
- §. 1211. Supplicare tamen pro remissione legis; & ipsum aliquando silentium pro benigna concessione interpretari omnino permittitur.

§. 1205.

Lex petit esse communitati *denuntiata* §. 1194, quare hæc denuntiatio, seu *promulgatio* probe explicanda, & imprimis in duo membra est distinguenda. Itaque alia promulgatio est *solemnis*, ac publica, qua Legislatores scripto, vel voce præconis populum alloquens; ipsi communitati suam legem denuntiat: alia vero promulgatio est *privata*, qua singuli ope singularis institutionis legem discunt, e. g. eam in libris legendo, vel ex alicujus epistola, aut sermone intelligendo. Jam de publica promulgatione ex nostra legis definitione §. 1194

§. 1206.

Habetur *XII*mo consecrarium, unam saltem publicam denuntiationem ad vim legis, prout ratio legis modo obtinet, om-

nino requiri: & quod inde sequitur, Ministrum, aut alium quemcunque conscium ante promulgationem lege minime teneri, etsi legem latam, subscriptam, & per omnia absolutam extare probe noverit. Cum enim communitati talis constitutio nondum promulgata sit, & proinde hæc lege nondum teneatur, habetur, etiam singulos cives liberos manere, utpote qui non nisi per communitatem obligari solent §. 1199.

§. 1207.

Sed an promulgatio in toto Imperio semel, publice tamen facta ad vim legis sufficiat, vel an eadem in pluribus, & celebrioribus locis necessario iteranda sit, antiqua jam, & fors non adeo gravis disputatio est. Itaque ad efficaciam, & valorem legi conciliandum adeo non requiritur, promulgationem ejusdem sæpius, aut in pluribus locis iterari, ut quamdiu sermo est *de solemnibus* promulgatione, nec unica requiratur. Nam tota differentia legis a præcepto §. 1199 est Legislatori voluntaria, pendetque a liberrimo ejusdem arbitrio, an singulos subditos proxime, vel per mediam communitatem obligare velit. Quod si imperans per nullam publicam denuntiationem, sed privatam duntaxat notitiam quemlibet edoctum; in territorio, vel

vel extra illud constitutos subditos ; item omnes, vel singulos ; denique transeundo velut per communitatem, vel quemvis proxime aggrediendo, ad aliquid jussu suo adstringere voluerit, semper tamen omnes tenebuntur. Tibi vero arbitrarium exinde erit, an hoc mandatum legem, vel generale præceptum vocare malueris. Certe summa præcipiendi potestas ad ritum externum alligata non est : & ante JUSTINIANUM de promulgatione *solemni* novarum legum in singulis Provinciis necessario iteranda vix aliquæ auctoritates extabunt. Imo extra Rempublicam Romanam saltem de politica, ac *solemni* promulgatione *tantum necessaria* ad efficaciam legis pauca, ut puto, exempla proferes. Et hæc de *solemni* promulgatione.

§. 1208.

Cum vero leges sint vincula moralia, hujus autem generis vincula injici, aut imponi nulli menti queant, nisi ope cognitionis §. 63, & 64, verba nostræ definitionis : *Communitati denuntiata*, per *XIII*^{tiam} consecutionem ita debent intelligi, quod si de *privata* promulgatione §. 1205 quærat, leges, imo præcepta, & quascunque jussiones non tantum singulis Provinciis, sed etiam singulis omnino

A a 5

homi-

hominibus eousque promulgandas esse, ut legem extare certo, aut probabilius, vel quandoque æque probabiliter intelligant §. 71, 77, & 84. Ad hanc tamen notitiam perinde est, an voce præconis, solemnique aliquo scripto, vel singulari institutione, familiari epistola &c. obtineatur.

§. 1209.

Sed an non promulgationem legis, siquidem hæc robur obtinere velit, aliqua ejusdem acceptatio sequi debet; fere sicut se promissio, & promissionis acceptatio ad constituendum legitimum pactum mutuo se excipere necessario debent? Quod quidem ad legem politicam eo magis requiri videtur, quod ista ex pacto aliquam substantiæ suæ portionem hauriat §. 1190. Verum id post propositionem 28^{am} ab ALEXANDRO VII damnatam nullus, quantum mihi constat, defendere ausus est. Propositio autem est sequens: *Populus non peccat, etiamsi absque ulla causa non recipiat legem a Principe promulgatam* *.

- * Idque intelligendum de legibus sacris, & politicis in statu monarchico, & aristocratico latis. Nam in Democratia, in qua summa rerum est penes populum, aliter est sentiendum: tunc enim legem idem populus potest tollere, qui eandem condidit.

§. 1210.

§. 1210.

Itaque cum lege regia, quæ de Imperio ejus (PRINCIPIS) est lata, populus ei, & in eum omne suum Imperium, & Potestatem conferat *l. 1. ff. de constitut. Princip.* & proinde nostra definitio de acceptatione mentionem recte omittat: *XIV^{to}* datur intelligi, ad efficaciam legis minime requiri acceptationem populi, utpote qui omnem a se Potestatem in Rectorem rei-publicæ transtulit. Magis vero id verum est, de lege sacra, quæ ex Imperio gratiæ descendit; quam nullus populus, sed solus gratiæ AUCTOR CHRISTUS impertire potest. *

- * Ut ut jam verissima sit hujus §i doctrina, laborant tamen DD. in explicanda *lege 32. ff. de legib.* quæ ita habet: *Nam cum ipsæ leges nulla alia ex causa nos teneant, quam quod iudicio populi receptæ sint &c.* Cum enim hæc lex sit JULIANI JCTI, qui 2^{do} post CHRISTUM sæculo, & sic adulta jam Monarchia floruit, hæc eadem lex de statu Romæ democratico, seu de libera civitate intelligi non potest. Verum JCTus de lege in singulari sensu accepta, & prout ea a Senatusconsultis, & constitutionibus Principum distinguitur, tractat: hæc enim tria non tam in efficacia sua, quam per Auctores suos solebant distingui. Unde *l. 1. ff. de constitut.* habetur, quod edita Principum sint tales leges, *quas vulgo constitutiones appellamus.* Et licet populus tempore JULIANI JCTI suffragiis (de moribus huc

huc pertinentibus, seu de consuetudine alibi) nullas amplius ferret leges, leges tamen libera adhuc civitate a populo conditæ, etiam tunc vim obtinebant.

§. 1121.

Propterea tamen populo integrum manet per viam supplicationis ad Principem recurrere, ut is legem fors iusto gravio-rem, vel ad speciales cujusdam loci circumstantias parum aptam velit tollere. Item omnino permissum est ad Superiorem, si hujus legis conditor talem habeat, confugere. Demum si legem passim negligi Legislator probe sciat, nec contradicat, eandem remittere censendus est: si tamen libere, aut ob pericula legi intrinseca, & non a pervicacia subditorum venientia taceat. Nam concessionem metu malorum a supplicante imminentium factæ sunt irritæ coram DEO, conscientiam non liberant, sed magis onerant. Nec enim licet eam stipem retinere, quam quis stricto gladio a viatoribus corrogavit.

C A P U T VI.

De iis, quibus Potestas ferendi leges competit.

§. 1122. Ex eadem semper legis descriptione §. 1194, consequitur XVto, legitimam potestatem ad efficaciam legum omnino requiri. Et referuntur ii,

§. 1213. Quibus hæc potestas in *Ecclesia*;

§. 1214. Et quibus eadem in *civitate politica* competit:

§. 1215. Circa quod tamen *diversa diversarum Gentium jura* dantur.

§. 1212.

Cum non possit intelligi obediens sine Superiore, neque Superior sine jure imperandi, cumque proin ad ferendam legem *legitima Potestas* requiratur §. 1194, certissimum, & quidem numero *XV^{tum}* consequens est, leges eas nullius esse roboris, quæ ab homine legitima potestate destituito feruntur. Alias quilibet posset cuilibet, quæcunque libuissent, imperare. Quisnam vero ad singula negotia, & in Personas singulas, aut totas communitates publica, & non mere familiari præcipiendi auctoritate potiatur, tanquam res ad factum pertinens, ex nulla regula inferri, sed simpliciter tantum referri potest. Itaque

§. 1213.

Quantum ad Ecclesiam hæc potestas est vel *generalis*, & *specialis tantum*. Potestas leges *generales* in universam scilicet Ecclesiam condendi competit ROMANO PONTIFICI. Unde S. SIRICIUS ad *Himerium* scribit: *Quid ab universis post-hac Ecclesiis sequendum, quid vitandum, generali pronuntiatione decernimus.* Le-
ges

ges totam Ecclesiam obstringentes insuper, & vel maxime condunt **CONCILIA GENERALIA**, prout inde a **CONCIL. NICÆNO** Imo omnium Ecclesiarum consensus, & innumeri Canones testantur. Non item Concilia *particularia* (nisi hæc ab universali Ecclesia etiam in causa disciplinæ recepta sint) statuta in omnes Ecclesias valitura, condere possunt *. Ubi caute quidam morum Doctores legendi sunt, qui ad decidendam controversiam *particularium* Conciliorum Canones tanquam auctoritatem unice sufficientem adhibent. Utique **PATRES** illi, quibus nostra Provincia nunquam fuit subdita, nullam nobis legem scribere potuerunt. Id forte ex iis inferes, talia præcipere bonum, & ad antiquæ ætatis sensus accommodatum fore: non item, id nobis præceptum jam esse.

* Sunt tamen aliqua ejusmodi minorum Conciliorum statuta generatim recepta. Quorsum ex *c. 1. dist. 20.* pertinere videntur Canones Conciliorum Ancyranum, Neocæsareensis, Gangrensis, Antiocheni, Laodicensis, unius, aut plurium Africanorum.

§. 1214.

Post **SUMMOS** hos in Ecclesia **IMPERANTES CONCILIUM GENERALE** scilicet, & **PONTIFICEM**, inferiores quoque **PRÆSULES** in sua quisque Ecclesia leges con-

condere possunt. Et quidem *primo* ARCHIEPISCOPI pro tota, cui præsunt, Provincia, sed non nisi in Concilio provinciali, & suffragantibus reliquis Episcopis *c. 25. de accusat.* *2^{do}* Eadem facultate pro sua Dioecesi gaudent EPISCOPI, saltem in Synodo Dioecesana, vel quod verius est, etiam se solis. Cum enim differentia legis a præcepto præcipienti sit arbitraria §. 1207; cumque Episcopum præcepta legitime ferre certum sit: etiam proprii nominis leges Episcopus condere tamdiu poterit, donec hanc Potestatem altiori jure eidem restrictam fuisse ostendatur. *3^{tio}* Huc pertinent Capitula Cathedralia sede vacante, *c. 14. de majoritat.* Non tamen Parochi, imo neque Archidiaconi, aut Vicarii generales (etsi potestate iudicandi insignes) circa leges quidquam valent.

§. 1215.

De Potestate ferendi leges diversarum Nationum diversa jura, & formæ regendi sunt attendendæ. In nostro Germaniæ ROMANO IMPERIO imprimis IMPERATOR cum Imperio; tum etiam status Imperii *immediati*, id est, qui nullum præter DEUM, & IMPERATOREM superiorem agnoscunt, in suis ditionibus legitimas leges condunt. Datur etiam in inferioribus
Col-

Collegiis, vel præfidibus aliqua obligandi auctoritas: sed ea vel ad judicia, vel ad simplicia præcepta pertinet. Collegia quoque inter se statuta, & leges dicuntur ferre: sed fere nil nisi pacta sunt, utpote ab æqualibus, & inter æquales condita.

C A P U T VII.

De effectu Legum, & speciatim Irritantium.

- §. 1216. Pergimus, & quidem *XVI*to inferre, *generalem omnium legum*,
 §. 1217. Etiam *irritantium effectum esse obligationem*.
 §. 1218. Et hæc actum reddunt nullum vel *per sententiam*, vel *absque sententia*: quorsum
 §. 1219. Pertinent leges etiam *simpliciter tantum irritantes*. Ad quas
 §. 1220. *De jure scripto*, non item *ex usu* referri debent leges etiam *more prohibentes*.
 §. 1221. Denique legum irritantium *inexorabilem vim admirari* juvat.

§. 1216.

Cum jam per quamlibet legem publica potestas *obligare vult* §. 1134 *XVI*tum consequens est, *generalem omnium legum effectum esse obligationem*. Neque enim cogitari unquam potest lex mere *permittens* §. 52, & 57: & si aliquando statutum aliquod solam permissionem sonare videatur, ea tamen obligans est, & reapse prohibens, ne alii eundem impediunt, cui hæc

hæc permissio facta est. Hæc porro obligatio ex qualibet lege oriri solita concernit vel actum præceptum, vel præcepti seu legis violatæ pœnam. Sed etiam quantum ad actum vel ejus valorem, & efficaciam aggreditur; vel simpliciter prohibendo, aut præcipiendo ejus honestatem afficit. Unde leges in irritantes, & mere constituentes dividimus.

§. 1217.

L*ex irritans est, quæ sua natura actum aliquem effectu suo morali, qui eidem alias de jure nature competeret, privat: & sic reapse prohibet, ne quis jure ex tali actu e. g. electionis, pacti cum pupillo initi, oriri solito utatur. Licet ut sincere fatear, in lege irritante plus sit, quam in simpliciter prohibente. Non enim tantum prohibet usum juris, sed ipsum jus tollit. Aliquid tamen obligationis infert, ut lex irritans sub genere legum cense-ri queat §. 1216. Habet vero duplicem efficaciam: unde non quilibet actus potest irritari. Sic lex non potest facere, ut cædes non sit cædes, ut percussio dolorem non afferat: sed illi tantum actus possunt suo robore exui, qui sunt, aut possunt esse tituli debendi, seu novi alicujus officii aut juris origo, & causa. Et*

Pars III. Th. Mor.

B b

hi

hi omnes fere sunt pacta, aut certe ad pacta per aliquam rationem revocare possunt, e. g. testamenta, electiones, concessio jurisdictionis &c.

§. 1218.

Verum circa has leges irritantes diversis Legislatores utuntur vocibus. Aliquando enim *plene*, *in foro conscientie*, *ante omnem sententiam judicis* aliquam actionem nullam esse decernunt: alia vero vice non adeo efficacibus sententiis, sed *simpliciter* irritam esse volunt: ac denique non nunquam actum *irritandum*, in irritum revocandum, robore suo privandum esse statuunt. Et quidem *plena* illa, & consummata actus exinanitio eundem mox omnibus viribus exiit ex communi omnium sensu: contra etiam pacifice concedunt, si lex eundem primum evacuandum, irritandum decernat, quod talis actus usque dum in iudicium deferatur, omnino vim suam moralem edat.

§. 1219.

Verum de secundo, & simplici actum irritandi genere dissident: an scilicet ante omnem sententiam nullus fit actus ille, quem ipsæ quidem leges, & simpliciter,
&

& absque specialibus additamentis irritum decernunt, & non primum irritandum esse statuunt. Mihi quidem multo verior videtur sententia asserentium, actus per legem *simpliciter* irritatos mox esse nullos, etsi constitutio nihil de conscientia, aut utroque foro, & ejusmodi addat, dummodo eundem *irritum* jam, & non duntaxat *irritandum* decernat. Nam lex facit hanc actionem esse irritam; ergo est talis. Negotium odio obnoxium, quale inter alia etiam est præsens, restringi debet, *Regul. jur. 15. in 6*: sed tunc quando verba æque in utramque partem faciunt; non vero quando aperte in adversam propendent. Voces illæ magis sonantes, & aliquando addi solitæ: *mox, ante omnem sententiam* &c. nihil evincunt: nam aliquæ leges prohibentes ad majorem efficaciam etiam continent gravissimas præcipiendi sententias e. g. *in virtute sanctæ Obedientia, & sub-interminatione divini judicii*; & nemo dixerit ex hoc, reliquas leges prohibentes non fringere in virtute S. Obedientiæ &c.

§. 1220.

Alia de hac lege irritante habetur controversia, an quivis actus eo ipso etiam *irritus* sit, quod sit simpliciter *prohibitus*; puta semper talem actum, qui

B b 2

non

non tantum ipfiusmet moralis, fed novi officii moralis caufa fit. Quantum ad hoc negotium litem ita componi poffe arbitrarer, fcilicet quantum de *lege fcripta* etiam prohibitus duntaxat actus jam irritatur. Habentur enim leges adeo claræ, quæ adverfam refponfionem nullam admittant. Sic *l. 5. C. de legib.* dicitur: *Quæ fieri prohibentur, non folum inutilia, fed pro infectis etiam habeantur; licet Legislator fieri prohibuerit tantum.* Cui iuffragatur Pontifex apertis verbis *c. 13, cauf. 25, q. 2.* Quantum vero ex *lege non fcripta*, feu confuetudine res aliter fe habet: fic noftris moribus nemo actum pro irritato habet, fi is fimpliciter prohibitus tantum fuerit. Imo amplius ex utroque jure ægre duo exempla proferent, in quibus aliquis actus prohibitus tantum absque lege irritante pro nullo habeatur. Et fic ad ufum fententia posterior, & negans eft verior.

§. 1221.

Et fic pleraque, quæ de lege irritante circumferuntur, tumultuarie recensui: unicum tamen ex meo liceat addere, fcilicet inexorabilem, & ad nullas privatas calamitates mitefcentem hujus legis rigorem admirandum effe. Sic potius moriendum, quam cum impedimento dirimente
matri-

matrimonium contrahendum est. Si ultima etiam adhibita industria septimum testem habere nequeas, testamentum solemne erit nullum &c. Neque ratio tantæ severitatis in publica utilitate contineri videtur: nam, etiam leges præcipientes commune commodum spectant, & tamen gravi necessitati cedunt. Cur vero tantopere ad publicam salutem pertineat (nam Romanis usitata testandi ratio nihil ad nostram utilitatem confert) septimus testis, postquam sex plusquam plenissimam fidem fecerunt? Sic arma portare fors publicæ tranquillitatis gratia interdictum sit, iis tamen abs omni culpa uteris, etsi non vita, sed aliqua bona fortunæ tibi speciatim periclitentur. Quare quod jam alibi innui, ratio legum adeo gravium me quidem latet.

C A P U T VIII.

De Legis præcipientis vel prohibentis, item de Legis pœnalis effectibus.

- §. 1222. *Leges mere constituentes possunt gravem, vel levem obligationem inferre; pro qua, id est, levi*
- §. 1223. *Raro leges, bene tamen privata præcepta interpretanda quandoque sunt.*
- §. 1224. *Adeo autem obligatio necessarius legum effectus est, ut ex definitione legis §. 1194, merito inferatur XVIIImo, etiam leges pœnales aliquam obligationem semper continere. Pœnæ vero ejusmodi a lege taxatæ*

- §. 1225. Vel sunt *ferendæ*, vel *latæ sententiæ*. Ista vero
 §. 1226. Rursus possunt esse tales, ut nullam *exteriorem*
 requirant *executionem*, quæ proin perpetrato crimine
 mox obstringunt:
 §. 1227. Vel requirunt *exteriorem* aliquam *executionem*,
 & non nisi post *sententiam declarantem* obligare in-
 cipiunt. Nihilofecius tamen
 §. 1228. A *pœna ferendæ sententiæ* multum differunt.

§. 1222.

Ex legibus ipsum actum spectantibus al-
 tera classis sunt mere *constituentes*
 §. 1216, quæ scilicet actum prohibent,
 aut præcipiunt tantum, eundem tamen ir-
 ritare, & suo effectu privare vel non pos-
 sunt, aut certe nolunt. Circa has leges
 id solum notaverim, quod aliquando in
 gravi licet causa, seu materia, levem dun-
 taxat obligationem possint inferre; si sci-
 licet Legislator sub gravi culpa nolit opus,
 seu actum aliás fat gravem præcipere: non
 tamen hæ leges in negotio levis mōmenti
 gravi obligatione obstringere possunt. Non
 enim oportet, ut obligatio dignitatem, &
 meritum causæ excedat: neque Legislator,
 si justus esse velit, onus utilitate inde re-
 sultante majus imponere potest. Quantum
 ad usum omnis lex, aut singulare præcep-
 tum censetur conditionem rei præceptæ
 sequi, quæ si ex se, vel ex circumstantiis
 fuerit gravis, etiam voluntas obligandi erit
 gravis, secus vero animus sub lethali no-
 xa subditum obstringendi non adesse merito
 censetur.

§. 1223.

§. 1223.

Et quidem lex nisi in gravi causa vix feretur aliquando: hæc tamen doctrina locum habere potest in singularibus præceptis, si præcipientis verba in gravem, & levem obligationem ambigua, & ab utraque æque distare videantur. Si vero verba singulatim aliquid præcipientis nullam obligationem, vel probabilius nullam sonent; tunc in causa privata, etsi gravi non censetur adesse voluntas sub lethali noxa obligans. Parce enim, & cautissime prudentes Rectores ancipiti gladio, id est, obligatione sub peccato æternam damnationem inducente solent uti; utpote quem etiam in causa publica, & ad ferendam proprii nominis legem moderate admodum uti omnino convenit §. 1195, & 1198.

§. 1224.

Verum aliæ leges non tam futuri actus justam, aut iniquam conditionem, sed tantum ad præteriti male gesti *pœnam* comparatæ sunt §. 1216. Quia tamen etiam istæ de genere legum sunt, sequitur ex definitione legis §. 1194, & quidem *XVII^{mo}*, quod leges *pœnales* quoque, prohibendo, vel præcipiendo aliquem actum nos obligent. Nam etiam hæc leges,

B b 4

quas

quas a pœna per eas taxata *pœnales* vocamus *, reapse actum futurum concernunt. Scilicet inferunt obligationem definitam pro delicto pœnam dictandi per sententiam, vel absque sententia vi solius legis subeundi. Lex enim, & proin obligatio in actum mere præteritum cadere non potest: quod enim præteriit libertati, humanæ, & sic nulli obligationi, aut legi obnoxium esse potest.

- * Disputant, an dentur leges mere pœnales. Hucusque verior sententia id habebat. Nulla datur lex, quæ nullam omnino obligationem inferat: datur vero quæ non definite actum præcipit; sed alterutrum vel actum scilicet, vel multam solvendam. E. g. si prohibitum sit, ne quis noctu per compita absque lumine ingrediatur, idque sub pœna aurei: tibi quantum ad conscientiam arbitrarium erit vel lumen deferre, vel si *deprehendaris*; aureum solvere. Ad alterutrum tamen vi legis teneris. Unde quantum ad præsens negotium leges dividuntur in *simpliciter constituentes*, e. g. *Quilibet noctu lumen deferat*: in *mixtas*, e. g.: *Quilibet lumen deferat, & qui non tulerit, aureum pendat*: & denique in *mere pœnales*, e. g.: *Quilibet sub pœna aurei lumen deferat*. Verum nostra ætate volunt, qualibet lege definite ipsum actum præcipi, aut prohiberi. Et sic nulla lex *mere pœnalis*, sed non nisi *constituentes*, aut *mixtæ* darentur. Hanc tamen controversiam voluntas Imperantis, vel certe consuetudo dirimet.

§. 1225.

Pœna jam per *leges statuta* sunt vel *ferendæ*, vel *lata sententiæ* *, scilicet prout lex ipsa pœnam injungit, vel per judicem pœnam demum injungi imperat. Quod si per judicem primum injungi decernat, seu quod idem est, si lex contineat pœnam ferendæ sententiæ, tunc reus usque ad sententiam ab omni pœna, & obligatione quantum ex hac lege immunis manet. Lex vero magis obstringit judicem, scilicet ut hanc definitam a lege pœnam in reum decernat; nec mitior, nec severior in tali causa existat, quam prout lex imperat, nisi forte ipsemet parem, aut etiam majorem potestatem habeat, quam ille, qui legem condidit: tunc enim legem, si consultum esse putet, non tantum lenire, sed omnino solvere potest.

- * Formulæ ferendæ primum sententiæ sunt *imo*, si lex pœnam tantum comminetur, e. g. *sub pœna privationis actuum legitimorum*; dummodo alia gravior clausula non addatur e. g. *ipso facto incurrenda*. *2do*, si lex futurum pœnæ tempus exprimat, e. g. *talis excommunicabitur*. *3tio*, si imperando loquatur, e. g. *hujus criminis reus eo, quod in Republica gerit, munere privetur*. *4to*, quando verba ad significandam latæ, & ferendæ sententiæ æque apta sunt, e. g. *sub pœna amissionis beneficii*. Dicitur, quando ad utrumque sensum *verba æque apta sunt*: si enim in alterutram partem magis propendeant,

deant, tunc prævalenti parti accedendum; regulæ enim juris in dubio, & pari causa, non item, prout ego puto, contra probabiliorem sententiam vires obtinent. Idque colligi videtur ex ipsis regulis juris, scilicet ex II, 30, 65 in 6. Unde sequentem formulam: *Ejusmodi fit excommunicatus &c.* pro pœna ferendæ tantum sententiæ intelligere nolim; eoquod verba in excommunicationem latæ sententiæ magis sint prona.

Exempla vero latæ jam sententiæ sequentia sunt, & quidem primum, si verba legis actionem, & pœnæ irrogationem in præsentem vel de jam præterito enuntiant, e. g. talem excommunicamus: vel sciat, se esse excommunicatum: vel pœnam hanc virtute præsentium incurrat.

§. 1226.

Aliæ vero pœnæ sunt *latæ sententiæ*, puta, quæ ab ipsa lege plene irrogantur, & non primum per aliquam sententiam decerni jubentur. Verum pœnæ istæ, etsi latæ sententiæ, divisionem fat notabilem subeunt. Nam talis pœna per ipsam legem, tanquam ultimam sententiam jam decreta potest consistere in mera *obligatione abstinendi*, aut certe in solo actu interno; vel eadem pœna potest continere obligationem aliquid agendi exterius, id est, extra mentem *actum quemdam pœnalem exercendi*: si prius, tunc pœna latæ sententiæ mox obligat, simpliciterque reum stringit, quamprimum delictum illud
com-

commiffum fuit. Sic per pœnam latæ ſententiæ excommunicatus a Communione cum aliis exercenda mox debet ceſſare; item privatus legitimis actibus ab iisdem ſibi temperare &c.

§. 1227.

Si vero pœna *exterioſem executionem* requirat, eaque non in abſtinentia, ſed in actione aliqua conſiſtat, ante omnem ſententiam non ſtringit, ſed reus poteſt exſpectare decretum iudicis, etſi pœna illa ſit latæ ſententiæ *. Sic *ipſo factò* privatus beneficio non tenetur illud mox dimittere, ſed illud retinere poteſt, donec ad hanc pœnam non quidem condemnetur, eoquod per legem jam condemnatus ſit, ſed quouſque ſententia iudicis declaratur, reum noxam hac pœna dignam, aut certe ipſam pœnam incurriſſe. Atque hæc opinio communi DD. conſenſu obtinet, & ſumitur ex *c. 19. de hæret. in 6*, ubi decernitur, hæreticos non eſſe obligatos, ut ipſimet ſua bona ad fiſcum deferant, etſi huic, id eſt fiſco, ab ipſa jam lege adjudicata ſint. Atque hæc ſentienti, & obligandi ratio prudentiſſima eſt; alias enim leges quantum ad præſens caput ſua efficacia carerent: vix enim exſpectari poteſt, ut reus ipſusmet gravem in ſe pœnam exequat.

* Nisi forte annexam habeat specialem particulam: E. g. *ipso facto*, & *alia declaratione non secuta*. Si enim arctis adeo verbis scripta foret lex aliqua, tunc utique nulla expectata declaratione poena subeunda foret. Raro autem leges eousque acuuntur, nisi mutato jure, aut per alias circumstantias lex naturæ subintret. Sic quia Clerici non residentes suo officio defunt, ac proin statutam mercedem haud merentur; facile intelligitur, quod fructus beneficium hoc non obstante recipientes rem alienam capiant, & sic jure naturali, & non ex jussione legis humanæ eosdem ante omnem sententiam restituere teneantur. Sic etiam foetum animatum abigentes, atque exinde irregulares effecti, cum sacra officia obire jam non amplius queant, beneficium siquod habent dimittere ante omnem sententiam coguntur, ne alias fructus ejusdem absque opera sua percipiant § 305.

§. 1228.

Neque poena, quæ externam executionem requirit, & exinde sententiam declarantem expectat, propterea ex poena latæ sententiæ in poenam sententiæ primum ferendæ migrat. Nam poena ferendæ sententiæ non nisi a tempore sententiæ initium sumit absque ullo alio effectu; poena vero latæ sententiæ equidem ad exteriorem executionem stringere non incipit, nisi post declarationem a Judice factam; hac vero data idem est, ac si reus poenam tempore delicti jam incurrisset. Unde fru-

fructus interea percepti restituendi, omniaque a tempore delicti usque ad tempus sententiæ æque erunt irrita, prout post sententiam irrita esse incipiunt. Seu aliter sententia *condemnans* suos effectus deinceps producit: sententia vero *declarans* retro etiam operatur, cunctaque, quæ post delictum in tali negotio acta fuerunt, afficit, suoque robore exuit: prout colligitur ex *l. ultim. c. ad leg. Jul. Majest.*

C A P U T IX.

De Interpretatione Legum generaliter consideratarum.

- §. 1229. Cum lex dependeat a Legislatoris voluntate §. 1194.
 §. 1230. XVIIIum Consequens est, ab eadem voluntate etiam legis interpretationem pendere. Quæ
 §. 1231. Cæteroque vel *authentica*, vel *scholastica*;
 §. 1232. Et ab *Epikreja* probe discernenda est.
 §. 1233. Interpretationi *scholasticæ*,
 §. 1234. Sive a *Judicibus*, sive a *Doctoribus* faciendæ
 §. 1235. Certæ *regulæ* sunt scriptæ. Inter quas una est:
Verba clara non admittunt interpretationem.
 §. 1236. 2da: *Interpretatio potius menti, quam verbis legis accommodanda est.*
 §. 1237. Cui consonat sequens D. D. axioma: *Ratio legis, est anima legis.* Jam regula
 §. 1238. 3tia: *Ubi eadem ratio, eadem quoque legis dispositio.* Et denique
 §. 1239. 4ta: *Placuit in omnibus præcipuam esse justitiæ, æquitatisque, quam stricci juris rationem.*

§. 1229.

§. 1229.

Tametſi juſtitia Legislatori in ferenda lege perpetuo, ac neceſſario debeat eſſe propoſita §. 1194, adeo ut ad ſtatuendum id, quod æquius videbitur, certa ratione obligatus, ſtatutum condere, vel non condere pro arbitrio minime queat §. 1195: nihilofecius certum eſt nullam legem humanam exiſtere, aut amplius obligare, quam prout Legislator voluerit. Licet enim forſitan omnino ad officium Rectoris pertinuiſſet legem ferri, ſi tamen eandem non tulit, lex non exiſtet: vel in caſu contrario aliquando ex probabiliore ratione melius fuiſſet legem non condi, utpote quæ plus nocet, quam prodeſt; ſi tamen ea conſtituta jam ſit, obſervari plerumque debet; ne facultas de juſtitia, & utilitate legum judicandi in arbitrium, & ad ſententiam obedientium deferatur, & ſic præcipiendi poteſtas omni fere efficacia exuatur §. 1196.

§. 1230.

Quapropter nulla definitionis noſtræ §. 1194 particula ad ſenſum, & intelligendam legem foecundior, aut gravior eſt, quam ultima ſequens: *Qua* (publica poteſtas) *obligare vult.* Tot enim, atque pro

pro illis circumstantiis, tantoque robore præcipiuntur, aut prohibentur, prout Legislator *voluerit*, cujus voluntas vere est anima legis, imo lex ipsa. Unde ex iisdem definitionis nostræ verbis fuit *XVIII^{vo}*, quod ex ejus, id est, Legislatoris, voluntate legis *interpretatio*, repetenda sit. Et *interpretatio* quidem definitur, quod sit *verbi, vel sententiæ per alia verba, vel sententiã clariorem factã explicatio.*

§. 1231.

Ejusmodi vero interpretatio est vel *authenticã*, vel *scholasticã*. Authentica est, quæ fit ab eo, cui legis ferendæ, abrogandæ &c. potestas competit. Unde hoc genus interpretationis certum est, utpote ab auctoritate interpretantis vim legis obtinens. Nam *unde jus prodit, interpretatio quoque procedat. c. 31. de sentent. excommunicat.* Verum hæc interpretatio vel est *generalis*, quæ a Legislatore ad omnes subditos extenditur; vel *specialis*, cum scilicet Judex aliquis inferior in singulari, & quantum ad leges, dubia causa sententiã pronuntiat, quæ inter partes, nisi appellatum fuerit, saltem quantum ad forum externum jus certum reddit. *C. 15. de sentent. & re judic.* Verum *generalis* illa legum explicatio in
duas

duas rursus partes abit: Nam alia est *scripta*, id est, lege quadam publice edita; *quod enim Principi placuit, legis habet vigorem l. 1. ff. de constitut. Princip.* altera vero *non scripta*, id est, consuetudine, ac moribus introducta; *optima enim est legum interpretres consuetudo l. 37. ff. de legib.*

§. 1232.

Ab interpretatione legis differre volunt *Epikejam*, quam definiunt, esse *benignam legum interpretationem, qua ob speciales circumstantias casum aliquem specialem a Legislatore in lege comprehensum non esse, judicatur.* Sic e. g. si lege publica tempore ingruentis belli portas civitatis aperire prohibitum sit; poterunt tamen eæ referari, ad cives ab hoste fugientes recipiendos. Volunt autem ex eo *Epikejam* a consueta interpretatione discedere, quod illa mentem, hæc vero verba Legislatoris explicet. Reapse tamen casus *Epikejæ* est gravis ratio, qua urgente leges humanæ plerumque cessant obligare; de quo infra agetur.

§. 1233.

Verum præter interpretationem *authenticam* §. 1231 datur alia *scholastica*,
quæ

que auctoritate præcipiendi destituta, tantum solummodo roboris habet, quantum valet ratio, ex qua facta est: seu brevius, quæ doctrinæ, non legis conditionem habet.

§. 1234.

Cum vero lex adeo clare vix unquam possit edi, ut ad explicandos infinitos, qui accidere possunt, eventus sufficiat: ipsis inprimis iudicibus §. 1231, ad singulares causas sententiam dicere necessario permissum fuit; tum vero etiam D. D. aliisque rerum peritis de jure respondendi facultas (nostro ævo privata tantum) suadente utilitate, vel necessitate conceditur. Nam ut omnia dubia ad ipsum Principem deferantur, eaque legali interpretatione solvantur, minime profecto consultum est. Cum enim talis explicatio legis instar sit certa, ex ea tanquam minime dubio principio nova dubia, ac novæ controversiæ orientur, quæ si rursus certa auctoritate decidantur, res in immensum ferretur: sicque immensis legibus involveremur, prout experientia docuit; & libros Decretalium; atque Codicem Justinianum inspicienti abunde patebit. Scilicet quod tanta mole legum laboremus inter præcipuas causas est ea, quæ quondam obtinuit; ad

privatas consultationes publica auctoritate respondendi consuetudo.

§. 1239.

Ne vero privata hæc leges interpretandi ratio, soli docentium arbitrio permiffa effet, ipfæ leges generales quasdam leges explicandi regulas fuppeditarunt, quibus imperitiæ, & fimul pravo affectui limites aliqui figerentur. Ex quibus proin regulis aliquas delibare operæ pretium erit. Itaque *prima* eft: *Verba clara non admittunt interpretationem.* Defumunt hanc regulam ex *l. 74. ff. de legat. III. & c. 12. de decim.* Atque hæc regula eft magni momenti, & puto, quamcunque ex fubfequentibus regulis non nili tunc adhibendam effe, quando verba legis in aliquo cafu in utramque partem æque faciunt: fi vero alterutri *probabilius*, etfi non certo faveant, ejusmodi regulæ, licet in jure fcriptæ non funt adhibendæ. Sic nulla caufa felicior, pluribusve favoribus munita eft, quam conditio poffidentis, & tamen ea *non nifi in pari caufa* vincere permittitur, *Regul. Jur. 65. in 6.* prout alibi jam dixi. Scilicet in tali eventu voluntas Legislatoris, & jus *probabilius* ftat e. g. pro priori caufa: ut quid per aliquam ejusmodi interpretandi regulam contra probabili-

lio.

liorem niteris, utpote quam nec leges superare possunt, nisi novum jus constituerent, & sic legem priorem mutare; velint?

§. 1236.

Alia regula est: *Interpretatio potius menti, quam verbis legis accommodanda est. Nam certum est, quod is committat in legem, qui legis verba complectens, contra legis nititur voluntatem, R. J. 88. in 6.* Unde inter DD. tanquam principium adoptatum est sequens: *Ratio legis est anima legis*, videturque id desumptum esse ex *c. 5. dist. 1.* Finis enim legis ferendæ, seu ratio præcipiendi facit optime intelligere quidnam præcipere voluerit Legislator. Ubi notandum est *1^{mo}*: eam præcipientis voluntatem attendendam esse, quam tempore legis conditæ habuisse censetur; non vero illa, quam forsan habiturus fuisset, si omnia scivisset. Cum enim non omnia sciverit, ea voluntas non extitit, & ex eo, quod non existit, nihil; & sic neque lex extare potest. *

* Gravis calamitas facile potest sufficere, ut quis a lege eximatur: nulla vero molestia, aut ratio potest facere, ut lex aliqua detur, si eandem ferendi voluntas reapse non fuit; licet futura fuisset, si Legislator omnia prævidisset: Quia, quod jam dictum est, voluntas conditioni, quæ tamen non evenit, alligata nihil operatur.

§. 1237.

Sed etiam *alterum*: *Ratio legis est anima legis* explicatione indiget. Scilicet finis legis non cadit sub legem, seu propter quod fit præceptum, illud ex eo non præcipitur: alias finis, & ad finem statuta subsidia idem forent. Finis tamen iste, & ratio legem facit justam, eamque optime explicat: licet huic explicationi non adeo arcte sit inhærendum, ut propterea verbis velut vis inferenda, aut a consueta eorum significatione recedendum sit §. 1235.

§. 1238.

Tertia Regula a plerisque statuitur sequens: *Ubi eadem ratio, ibi eadem legis dispositio*: & quæ ab hac priore parum differt: *De similibus idem est iudicium*. Has regulas videtur continere utrumque jus scilicet *l. 12, & 27. ff. de leg. & c. 2. de translat. Episcop.* ubi sic habetur: *Propter expressam tamen similitudinem, vel potius identitatem nemini poterat videri dubium subtiliter intuenti: cum de similibus idem iudicium sit habendum*. Plura alii circa has regulas accumulunt. Verum ad ipsum usum, & interpretationem non adeo expedite adhiberi possunt eadem regulæ. Nam fingamus, alicubi ob pericula

la a sicariis imminentiæ præceptum esse, ut quilibet non nisi gladio instructus nocte exeat. Jam sclopus ad securitatem æque faceret, & pro sclopo deferendo non tantum similis, sed omnino eadem securitatis ratio haberetur: an ergo per eam legem quemvis ad deferendum sclopum obligatum esse dices? - - Sacerdotes religionis causa tenentur pensum canonicum exsolvere: Meditatio ad religionem æque faceret, ergo ad talem saltem tunc obligabitur, quando ex defectu linguæ, oculorum, aut libri illas horas dicere non poterit? Qualia tamen nemo, ut opinor, asseret. Scilicet ista principia, seu regulæ accommodari, ac velut subdi debent primæ illi regulæ §. 1235 descriptæ: si verba legis unum casum æque ac alterum dubie comprehendant; tunc ex pari ratione priorem æque, ac posteriorem in ea concludi censemus: si vero vis verborum certo, aut probabilius ejusmodi causam non contineat, tunc argumentum a pari ratione ductum in lege humana arbitraria nihil evincet. Alias certe infinitis legibus ex simplici quavis constitutione involveremur: ut proin regulæ interpretandi hoc §. ad ductæ familiares admodum, si non omnino eædem cum illis, quas §. 1236, & 1237 recensui, esse videantur.

§. 1239.

Celebrem, & inter generales *quartam* interpretandi regulam ministrat lex 2. c. de *Judic.*, quæ ita habet: *Placuit in omnibus præcipuam esse justitiæ, æquitatisque, quam stricti juris rationem.* Sed quia jura, & leges semper æquæ debent, & censentur esse: quænam est illa æquitas, quæ strictum jus superare queat? Hanc S. CYPRIANUS eleganter definit, quod fit *justitiæ dulcore, misericordiæ temperata.* Alius sequentem statuit definitionem: *Æquitas est quedam factorum convenientia, & rectitudo judicii naturalem sequens rationem.* Hanc utramque definitionem ego quoque adopto, eamque in unam componens clariorem reddo dicens: *Æquitas stricto juri opposita est jus nature purum, nulla adhuc lege humana temperatum.* Ut adeo sensus præsentis regulæ sit: quamdiu verba legis in neutram partem magis propendent, debemus ita judicare, prout nulla lege humana existente pro tali casu ex solo jure naturæ statuendum foret. *

- * Cum enim semper dentur duæ causæ, idque non tantum in judicio, sed in omni lege, & obligatione §. 86: non potest una benigne tractari, nisi impensis alterius §. 74, cui eo gravior est sententia, vel doctrina, quo mitior, indulgentiorque hæc in priorem partem exti-

extiterit. Ut adeo vagum misericordiæ nomen plurimum acerbitatis involvere queat. Ast cum alterutra Pars, seu libertas privata, seu publica lex necessario causa cadere debeat, mitius, & ad sensum humanitatis, atque ad iudicium rationis naturalis propinquius facit, quod simplici juri naturæ conformius est. Naturæ enim suum, id est, jus naturæ, præ peregrino, & arbitrario præcepto longe convenientius, multoque suavius est: & quamdiu inter duas partes iudicandum est, tandiu nihil mitius, & ad dulcorem misericordiæ nihil aptius facere possumus, quam si ad sensum simplicis naturæ, quantum scilicet licuerit, statuamus. Sic e. g. in dubio, seu æquali causa magis est standum contra vim præscriptionis, contra rem iudicatam, & denique contra omnia, quæ adversum jus naturale introducta sunt.

C A P U T X.

De legitima interpretatione quarundam legum specialium.

- §. 1240. Non nisi in pari causa *regulæ juris* tam generales, quam *speciales* sunt adhibendæ. Et inter has
- §. 1241. Est *ima*: In pari causa melior est conditio possidentis.
- §. 1242. 2da: Odia restringi, favores autem convenit ampliari.
- §. 1243. Sed etiam pro legibus *in præsumptione fundatis*, quæque
- §. 1244. In foro *exteriore* potissimum obtinent,
- §. 1245. Specialis, & sequens regula est scripta: *Præsumtio cedit veritati*. His tamen
- §. 1246. Efficaciores sunt leges *in fitione juris fundatæ*: habentque sequentem regulam:
- §. 1247. *Fictio juris idem operatur in casu ficto, quod veritas in casu vero.*

§. 1240.

Sequentes æque, ac priore capite commemoratæ regulæ, mea semper opinione, non nisi ad verba legis ambigua, seu ad utrumque sensum æque apta adhibendæ sunt: cum sine ingenti præjudicio legum contra probabiliorem earum sensum ex ejusmodi regula judicari non queat. *

* „Ast nonne agendo de conscientia §. 84, generatim partem negantem amplectendam esse, dicebatur? Ut quid jam pro casu dubii tot regulæ interpretandi? itaque hæ vel otiosæ, aut certe contra causam etiam probabiliorem alias, efficaces erunt.“ Verum doctrina nostra de *dubio*, imo de omni conscientia non prius incipit, nisi facto, & jure seu omnibus legibus ad eum casum pertinentibus probe æstimatis §. 66, & 91*. Jam regulæ ad legitimam interpretationem ab ipsis legibus ministratæ omnino ad leges pertinent, & siquidem casus aliquis aliunde in utramque partem æque probabilis, insuper ejusmodi regulam pro se habeat, deinceps fit probabilior. Si vero causa contra partem oppositam nulla ejusmodi regula gaudeat, quod quidem in quæstionibus facti, virtutum Theologicarum, religionis, castitatis, & omnibus negotiis, quæ a legibus humanis, & proin etiam a regulis juris exempta sunt, frequens est; tunc primum incipit regula conscientiæ ex §. 84 petenda.

§. 1241.

Jam inter has regulas speciales *primam* recenseo notissimam illam *65^{am} Jur. in 6.*

¶ *In pari causa melior est conditio possidentis.* De qua notatu dignum, quod hic referam, non habeo, nisi sequens: cum sæpe ambiguum sit, quisnam ex duobus disceptantibus possessor sit, cogitabam, an non in obscuro ejusmodi negotio sequens regula ex integro, & abs ulla exceptione posset sufficere; est autem hæc: *Ille in omni causa est Possessor, qui in questione controversa juxta cautelam §. 84 * assignatam, partem negantem sustinet.* Applicatio hujus regulæ ad diversos casus opinionum huic meæ plures fors Patronos conciliabit. Sed regula hæc intelligenda est, quando possessio est dubia. Si enim jus sit *dubium*, & possessio *certa*; tunc ope possessionis etiam jus fit probabilius per §. 1240 *.

§. 1242.

Secundam commemoro rursus vulgatissimam sequentem: *Odia restringi, favores autem convenit ampliari.* Reg. Jur. 15. in 6. Verum cum omnis lex aliunde debeat esse utilis §. 1195, & vel ideo favorem aliquem necessario contineat, nunquid omnes leges amplam interpretationem capient? Quare non adeo facile est leges faventes ab odiosis discernere. Ego sic opinor, quod debeat obvius, ac primo se offerens verborum sensus attendi, & mox

odium a favore poterit internosci, e. g. *qui percusserit alterum, teneatur solvere decem*: ista jam odium spectat, utpote pœnam statuens. Contra vero in eadem causa favorem spirant verba legis sequentia: *Qui percussus fuerit, possit ab altero decem exigere*. Circa quod negotium forte non displicebit, ista regula: in omni lege, & officio datur, qui obligatur, & cui alter obligatur §. 86: jam *si verba legis directa sint ad debitorem, ea spirabunt odium; si vero ad exactorem pertineant, favorem continebunt.* *

† Ex quo apparet celebrem Canonem *siquis suadente diabolo*, qui excommunicationem latæ sententiæ in percussores Clericorum statuit §. 931, odiosum & strictæ interpretationis esse; neque ex eo faventem, & benignum evadere, quod in honorem Ordinis clericalis, & ipsius religionis sit constitutus; nam omnes pœnæ, ac censuræ in favorem, & gratiam læi alicujus officii, & in tutelam virtutis comparatæ sunt.

§. 1243.

Verum etiam leges in *presumptione* fundatæ aliqua regula indigent, vel certe indigere videntur. *Presumptionem* jam quantum ad præsens negotium definiunt, quod sit *prudens conjectura rei dubie, collecta ex indiciis frequenter evenire solitis*. Quæ proin leges maxime ad judicia com-

comparatæ sunt, ut Judex ex præsumptionibus per ejusmodi legem probatis, saltem in defectu aliorum argumentorum sententiam ferre teneatur. *

* Aliæ leges nisi judiciales, vix in *præsumptione* aliquando fundari videntur. Equidem omne quod præcipitur, ad publicam utilitatem facere *præsumitur*, sed hæc præsumptio cuilibet legi communis, & nulli propria, seu specialis est. De hac tamen agam explicando cessationem legis.

§. 1244.

Verum cum ejusmodi indicia frequenter licet evenientia, non raro nihilominus fallant, vis ejusmodi legis est, ut Judex ex præscripto legis sententiam ferat, & condemnatus saltem in *foro externo*, id est, publice, & quousque id sciri, & publice de eo constare potest, eidem sententiæ satisfaciatur. Ad hoc enim obedientiæ genus, si non vi legis in præsumptione fundatæ, certe ex periculo scandali, & ex pietate in seipsum plerumque tenetur. Nisi enim voluntarie judicatum solvat, ad solutionem cum periculo famæ, & novarum expensarum cogatur.

§. 1245.

Quod si tamen, hisce præsumptionibus veritas non subsit; tunc quantum ad
con-

conscientiam, scandali, & majorum malorum periculo cessante, vis legis præsumptis, & sententiæ ex ea latæ est nulla. *Præsumptio* enim ex recepto axiomate *cedit veritati* ex l. 29. de *probat.* Et etiam ratio naturalis suffragatur: judicicia quippe non sunt instituta, ut per ea inter litigantes novum jus constituatur, sed ut antiquum defendatur, de eo judicetur, & controversia de jure jam prius existente exorta definiatur*. Et quidem nullum per sententiam novum jus induci eo facilius assero, quod etiam *rei judicatæ*, quæ alias sententia longe efficacior est, hanc vim rectius negemus inferius.

* *Contestatio litis*, id est, professio, qua quis cum altero in judicio litigare intendit, equidem aliquod pactum involvit, quod varios inducit effectus, de quibus Jcti: non tamen per talem contestationem litis promittit quispiam, quod contra apertam, sibi que probe cognitam veritatem sententia judicis stare velit.

§. 1246.

Firmiores sunt leges in *fictione juris fundata*. hæ enim non tantum de jure judicant, sed jus constituunt. Ejusmodi autem fictionem definimus, quod sit *legis adversus veritatem in re possibili, & ex justa causa dispositio* *. Hujusmodi fictionum exempla in legibus passim occurrunt. Sic

Sic Filii in bello cæsi per gloriam vivere finguntur, & Patri profuant, ne tutelam fuscipere cogatur; qui enim Romæ tres, & in Provinciis quinque filios habebat, a tutela gerenda excusabatur, §. 1. *de excusat. Tutor. in instit.* Item subsequens matrimonium filios naturales facit legitimos, eoquod fictione legum matrimonium ad tempus nativitatis retrotrahatur, sicque illi ex matrimonio nati fuisse fingantur §. *ultim. instit. de nupt.*

- * Ex qua definitione eæ voculæ: *In re possibili*, explicatione indigent: scilicet leges imitando naturam nunquam fingunt ea, quæ per conditionem naturæ non tantum facta non sunt, sed ne quidem fieri potuerunt. Sic etsi illegitime nati per subsequens matrimonium fingantur ex matrimonio nati esse §. *ultim. instit. de nuptiis*: id tamen non fit, si tempore nativitatis inter parentes ob impedimentum dirimens matrimonium ne quidem potuit subsistere. Sic etiam per adoptionem, beneficio, & fictione legum non potest habere filios legales, qui per naturam (eoquod e. g. impubes sit) filios naturales habere non potest, §. 4. *instit. de adoption.*

§. 1247.

De legibus jam, quæ fictioni juris inniuntur, obtinet sequens regula: *Fictio juris idem operatur in casu ficto, quod veritas in casu vero.* Cui regulæ suffra-

suffragatur *l. 1. ff. de adoption. & l. 32. §. 14 ff. de donat. inter vir.* Et quod proin omnino advertendum, fictiones hæ etiam in conscientia, secus ac præsumptiones, vim obtinent, etsi veritatem non subesse cuique apertum sit. Hæ enim leges non ad iudicium de jure jam existente pertinent, prout illæ præsumentes; sed jus antea nullatenus extans ipsæmet constituunt, suadente id naturali æquitate. Sic Canonicus infirmus merito, & benigne fingitur choro interesse, & stipendia præsentibus taxata mereri, etsi lecto affixus hæreat.

C A P U T XI.

De cessatione Legum.

- §. 1248. Dantur causæ, quibus leges abrogantur. Et ex §. 1194
- §. 1249. Dicitur *XIXno*, legem cessare, quamprimum juri *Divino*, aut *naturali* adversari incipit. Quorum pertinet,
- §. 1250. Si ratio legis quoad totam communitatem cessat.
- §. 1251. Habetur *XXno*, quod lex vel omnibus; vel aliquibus voluntate Legislatoris relaxari queat:
- §. 1252. Licet id ipsi etiam Legislatori non sit vere *arbitrarium*.
- §. 1253. Hic jam docetur, quomodo leges *generales per speciales*, & *vicissim* tollantur. Verum
- §. 1254. Etiam *singulis* leges remitti possunt per legitimam auctoritatem,
- §. 1255. Vel *ordinariam*, qualis est in ipso Legislatore;
- §. 1256. Et quandoque *in inferioribus* e. g. *Episcopis* quoad leges pontificias, quas Episcopi
- §. 1257. In uno, imo
- §. 1258. *Pluribus* casibus jure *ordinario*;

§. 1259:

§. 1259. Et sæpius *delegato* relaxant.

§. 1260. *Sine legitima* tamen *ratione* ejusmodi relaxatio facta *ab inferiore* est irrita:

§. 1261. *Iniqua* vero, si *a superiore* fiat. Ex qua regula

§. 1262. Etiam *supplicantes* pro ejusmodi beneficio se gerere debent.

§. 1248.

Tametsi natura legum ea sit, ut iis Rector subditum sibi populum *perpetuo obligare velit* §. 1194, & licet proinde leges nullo tractu temporis, aut morte Legislatoris exspirent *, planeque ex sui conditione perpetuæ sint: patiuntur tamen quædam sibi contraria, quibus vel per partem aliquam, vel integræ extinguantur.

* Per hoc enim leges maxime differunt a simplici præcepto, quod hoc mox desinat, quamprimum præcipiens seu morte, seu exauctoratione, seu abdicatione voluntaria jubendi potestate destituitur.

§. 1249.

Causæ porro legem extinguentes vel sunt *naturales*, vel Legislatori *arbitraria*. Naturales sunt omnes eæ, quæ finem legis tollunt, qui quidem finis necessario sola æquitate, & utilitate Reipublicæ comprehenditur §. 1195, eoquod lex debeat esse *recta agendorum regula*: ideo ex definitione nostra §. 1194 inferitur XIX^{no}, legem mox cessare, quamprimum juri naturali,

rali, aut Divino adversari, vel ad publicam utilitatem non amplius conducere incipit, seu quod idem est, quando recta agendorum ratio esse cessat. Et quidem utilis esse definit lex, quamprimum ea ratio cessat, propter quam lata fuit. Sic e. g. si propter vicinum bellum frumentum ex Provincia exportare sit prohibitum; tunc id mox licebit, quamprimum metus belli evanuerit. Et si nihilominus ex alia ratione utile foret frumenta servari potius, quam exteris vendi, ea ratio indigebit nova lege. *

* Id tamen advertendum, hucusque dicta obtinere, si ratio legis desinat quoad totam fere communitatem, cui ea lex lata fuit: non item, si quoad aliquos, aut minorem communitatis partem. Sic si forte ob periculum penuriae, aut famis res ad victum pertinentes exteris vendi prohibeantur in tota provincia, tales nec vestra civitas poterit vendere, etsi ei sat provisum sit: nam leges omnibus, non singulis scriptae sunt.

§. 1150.

Et quidem si causam legis etiam quoad totam communitatem cessasse certo; & publice constet; & Legislatores taceat; res est facilis. Sic enim etsi aliud non attendatur, etiam ipsemet consentire abs dubio censetur, utpote cui sola aequitas; & utilitas perpetuo cordi esse debet. Verum

rum si legem urgeat, & de legis inutilitate edoctus, eidem nihilominus instet; tunc circa abrogandam legem ea sequenda esse videntur, quæ de eadem in difficilibus ejusmodi circumstantiis de lege acceptanda dicebam §. 1196.

§. 1251.

Quia vero per legem Rector civitatis *obligare vult* §. 1194, ac proin lex non obliget, si is obligare non velit; habetur jam *XX^{ma}* consecutio, quod voluntas Regentis legem aliquam vel *omnibus*, vel *quibusdam* relaxare queat. Insuper legem toti communitati remittendo potest eandem quoad aliqua tantum capita tollere; & sic dicitur *legi derogare*: vel eandem penitus extinguere; quod *legem abrogare* vocamus.*

* Præter ista datur etiam *irritatio legis*, qua scilicet superior quidam Rector, aut Magistratus alterius, & inferioris Legislatoris constitutiones, aut præcepta eminente auctoritate sua facit irrita.

§. 1252.

Quod si itaque detur *legis abrogatio*: utique ex legitima ratione id fieri debet, e. g. quia lex incipit esse noxia; quia nimis leges aliunde gravant populum; si ejus molestia sit par utilitati &c.

Pars III. Th. Mor.

D d

Le-

Legislator enim sicut in condenda, ita etiam in abroganda lege non est sui arbitrii, sed lege æquitatis naturalis constringitur §. 1195. Ejusmodi legis retractatio, si contra utilitatem, & æquitatem fiat, & sic injusta sit; efficax tamen manet, legemque vere expirare facit: cum voluntas obligare volentis legi sit necessaria §. 1194.

§. 1253.

Prior itaque constitutio *generalis* per recentem *generalem* contrariam; non tamen prior *specialis* per novam *generalem* tollitur *c. 1. de constitut. in 6.* Atque ut generalis posterior antiquam generalem extinguat, non requiritur, ut prioris mentio fiat: bene vero necessarium id est, ut constitutionibus, aut consuetudini speciali per legem novam generalem derogetur, e. g. *non obstantibus quacunque lege, aut consuetudine speciali, vel singularium locorum juribus &c, id deinceps obtineat. Vid. c. 1. de constit in 6.* Unde axioma obtinet, quod genus non derogat speciei. Generatim autem jurium correctio odiosa, & quantum consuetus verborum sensus permittit, restringenda est, *l. 32. §. ultim. C. de Appellat. & c. 41. de election. in 6.* Ut adeo in tali casu non detur abrogatio, sed tantum derogatio legis, utpote quæ sic non tota, sed tantum per par-

partem aliquam cessat §. 1251. Quamquam etiam hoc non sit perpetuum: nam etiam mutatio jurium est quandoque amplæ interpretationis, e. g. si per hanc mutationem redeatur ad jus commune antiquum *l. 27. §. 2. ff. de Pact.* Item mutato principali etiam accessoria mutata esse censentur; si tamen hæc cum illo sint necessario conjuncta *l. 50, & 62. ff. de Procurator. l. 2. ff. de Jurisdict.*

§. 1254.

Verum non tantum *omnibus*, sed quandoque *aliquibus* duntaxat legem relaxare potest Legislatur §. 1251; & sic legem, seu in lege *dispensare* dicitur. Ejusmodi autem *dispensatio* definitur, quod sit *juris communis relaxatio facta cum cause cognitione ab eo, qui jus habet dispensandi*. Fors tamen intelligi debet: *Relaxatio facta alicui, aut quibusdam*, scilicet, ut dispensatio legis ab ejusdem abrogatione satis differat. Circa præsens jam negotium requiritur *legitima auctoritas* in eo, qui legem vult relaxare; & insuper necessaria est *justa causa* in illo, qui legem sibi remitti supplicat.

§. 1255.

Legitima auctoritas ad aliquem a lege eximendum vel est *ordinaria*, proprio

prio jure alicui & ex ipso, quod gerit, munere competens; vel *delegata* seu speciali ratione, ac velut extra ordinem alicui concessa §. 792. Ordinaria potitur is, qui legem tulit, ejusdem Superior, siquem habet, ac denique ille, qui legis Auctori in munere, & potestate legitime succedit. Sic in Ecclesia GENERALE CONCILIUM, & ROMANI PONTIFICES suas, Antecessorum, ac Subditorum suorum leges per universam Ecclesiam, & quidem jure ordinario, si voluerint, mitigant, vel tollunt. Idem de Episcopis, quantum ad leges Diocesanas.

§. 1256.

Inferiori tamen in legem a Superiore latam nulla est plerumque Auctoritas *. Debilius enim contra fortius non potest prævalere, neque subditus jussionibus majorum vim, & efficaciam derogare. Hoc tamen non est perpetuum, præcipue in Ecclesia, in qua Episcopis in constitutiones Pontificias non raro magna competit facultas. Et quidem non tantum facultas *delegata*, sed etiam *ordinaria*; eoquod ex ratione ipsius muneris pastoralis, & perpetuo insuper talem frequenter habeant. Jurisdictio enim, quæ ex ipso munere, & semper obtinetur ordinaria est. Ita D. D. passim eruunt ex *l. 5. ff. de Jurisdict.* & *ex c. ultim. de offic. Judic. ordinar.*

* Unde ipsius etiam Ecclesiae nulla est potestas circa leges divinas & naturales abolendas, vel mitigandas. Potest tamen easdem legitime, & absque ullo errandi periculo explicare, & interpretari, si sufficientibus ex Verbo DEI scripto, vel tradito argumentis instructa sit. Quanam auctoritate circa vota, ac juramenta utatur, explicabo alibi.

Id tamen leges divinae arbitrariae cum legibus humanis commune habent, quod gravi necessitati cedant, id est, cum gravi molestia non obligent plerumque saltem, & nisi earum violatio ab adversario quopiam in contemptum earundem petatur. Sic religiosissimi simul & fortissimi Machabaei statuerunt dimicare in die Sabbati I MACHABÆ. II. 41. Alii vero acerbissimam mortem subire maluerunt, quam carnes porcinas comedere: eo quod usus iste ab iisdem in contemptum religionis Judaicae peteretur: II MACHABÆ. VII, & VIII.

Sunt tamen aliquae leges divinae arbitrariae, quae etiam extra periculum contemptus cum ingenti, & ultima quoque molestia stringunt. Mihi tres potissimum sunt cognitae, quarum *prima* est de vinculo matrimonii (puta consummati) nulla unquam ratione dissolvendo. *Alter*a de Sacrificio non nisi sub utraque specie conficiendo: alias veri nominis Sacrificium, prout modo a CHRISTO est institutum, nequidem potest intelligi §. 510. Praeterea Sacrificium ex omnibus Religionis christianae legibus est summum, ex sui conditione *publicum* negotium, & ad communes Ecclesiae rationes pertinens, utpote quod nomine totius Ecclesiae offertur: cum reliqua Sacramenta (nisi forte Sacramentum Ordinis excipere velis) omnia, etiam illud Eucharistiae divinum

Myſterium, proxime ad privatas, & ſingulorum utilitates inſtituta ſint. *Tertium* præceptum divinum, & arbitrarium ſub nullius unquam neceſſitatis obtentu violandum eſt Sigillum confeſſionis §. 839.

§. 1257.

Caſus vero, in quibus Epiſcopis in leges a PONTIFICE, aut GENERALI CONCILIO latas aliqua Potestas jure ordinario competit, referuntur ſequentes; quorum *primus*, ſi lex *ſimpliciter* dicat, quod diſpenſari in ejusmodi cauſa queat. Idque deſumit unanimis fere D. D. ſententia ex c. 2. *de eo, qui cognovit*, & c. 7. *de Cleric. excommunicat. miniſtrant*. Otioſe enim e. g. Pontifex commemoraret poteſtatem diſpenſandi, utpote quam ſibi, aut ſuis Succeſſoribus eripere nunquam poteſt: & aliunde certum eſt, Legislatorem ſuas leges relaxare poſſe *. Certiſſime autem Epiſcopi Pontificis, aut Concilii leges ſolvere poſſunt, ſi eis ſpeciatiim, data opera ab ipsis legibus hæc facultas conceditur, pro ut contingit in c. 1. *de ſil. Presbyter. in 6*, & aliis plurimis vicibus.

- * Quæ doctrina de legibus Concillorum ab aliquibus fruſtra oppugnatur. Hæc enim, utpote rariffime congregari ſolita, inepte poteſtatem diſpenſandi ſibi reſervarent.

§. 1258.

§. 1258.

Secundus eventus Episcopis in leges superiorum facultatem tribuens est magna necessitas, & quæ moram non admittat. Et mitis Ecclesiæ mens, difficultas Romam recurrendi, communis opinio, & maxime consuetudo, & scripta insuper lex, scilicet *c. 33. de præbend.* huic assertioni suffragium ferunt. *Tertio* loco consuetudo Episcopis multum auctoritatis circa leges Pontificias tribuit: prout inter alia circa jejunia usuvenit; quorsum etiam referunt casum, de quo fors dubitatur, an indigeat dispensatione. Circa hoc tamen ex meo nihil velim addere, eoquod hic regulæ juris de interpretatione legum supra descriptæ, tum doctrina de conscientia fors absque dispensatione sufficiant; vel si lex Superioris dispensatione probabilius indigeat; tunc inferioris auctoritas contra legem Superioris sub obtentu dubii vix valere poterit.

§. 1259.

Præter potestatem *ordinariam* hucusque descriptam Episcopi aliam non raro, eamque *delegatam* circa jus commune, seu leges a CONCILIIIS GENERALIBUS, vel SUMMIS PONTIFICIBUS conditas obtinent. Nam frequenter tanquam summæ Sedis delegati instituantur, & speciales circa di-

versa præcepta, & jura concessionem pro se quisque solent obtinere. Sic possunt inter alia in omnibus irregularitatibus occultis dispensare, excepta illa, quæ ex homicidio voluntario oritur. CONCIL. TRIDENT. *Sess. 24. c. 6.*

§. 1260.

Præter potestatem ad legitimam legis relaxationem requiritur insuper *sufficiens ratio* §. 1254; idque jure merito, ne sancta, & duplici titulo §. 1190, munita legum vincula frivole, aut levi arbitrio rumpantur. Dicitur non potest, quanta detrimenta in DEI gloriam, & salutem animarum redundant, si in Ecclesia sacerrimæ, & fors iterato stabilitæ sanctiones vulnerentur. Quorsum illa beneficiorum pluralitas, jejuniorum relaxatio, aliaque pertinere possunt: sed etiam in politica civitate idem obtinet. Equidem plurimæ leges inutiles, & superflue forte existent; utilium vero tanta dignitas, & efficacia est, ut in sola pene legum custodia communis salus contineatur. Unde mirum non est, quod dispensatio, seu remissio, quam inferior in lege Superioris facit, etiam suppetente alias legitima potestate sit nulla, si absque sufficiente ratione fiat. *

* Ratio tamen non adeo gravis requiritur, ut se sola sufficiat ad legem pro eo casu remittentem.

tendam: alias non plus foret in dispensatione, quam in declaratione, quæ tamen a quovis rei probe perito fieri potest; prout alibi jam innui. Id tamen sollicitè advertendum, ut ea ratio non sit communis, aut legi omnino connata. Sic molestia jejunandi ordinaria, usitata utilitas ex altero beneficio redundatura, ampliores redditus &c, non sunt legitimæ causæ: alias cuilibet leges relaxari possent, eoquod hæ rationes in quolibet existant. Imo ad plura tenenda beneficia non nisi rationes sacræ, & prout ego arbitror, ab aliena, & publica utilitate petendæ sufficient, eoquod sacra munera nec profanis, imo nec sacris (siquidem hæ privatæ sint) rationibus servire queant §. 1066, & 1075.

§. 1261.

Quod si vero lex non ab inferiore quopiam, sed ab ipso ejusdem conditore, aut successore, abs justa ratione relaxetur: hæc quidem remissio vim habebit, absque piaculo tamen non obtinebitur; seu prout loquimur, dispensatio erit valida, sed illicita. Nam ut alia desint, indignum est, unum absque legitima causa a communi onere vacare, aliis sub eodem laborantibus. Dum vero ejusmodi relaxationem efficacem, etsi iniquam esse dicunt D. D., mea opinione ita intelligendi sunt, quod vis legis humanæ, quousque *humanæ* est, desinat. Quia vero sub legibus etsi humanis duntaxat, jus tamen Divinum, aut naturale latet §. 121, circa hæc Legisla-

tor humanus nihil mutare potest, nisi ratio, & circumstantiæ tales sint, quæ casum mutantem jus naturæ aliunde cessare faciant, aut certe nisi dispensationem impetrans obligationi naturali, aut Divinæ ex alia ratione, aut via satisfacere & possit, & velit. Sic a lege jejunii sanitatis causa exemptus pro suis, & fors etiam aliorum peccatis loco jejunii aliud DIVINÆ JUSTITIÆ pretium exsolvere tenetur, §. 664.

§. 1262.

Ubi etiam illæ duæ controversiæ per magnam saltem partem componi fors poterunt. Scilicet an integrum sit legitimum Superiorem pro relaxandæ legis beneficio absque justa causa interpellare: & an eo sic impetrato impune uti liceat. Jam cum nemo possit induci ad iniqui aliquid agendum, neque quis possit optare, ut alter peccet; cumque Rector etiam legitimus peccaturus sit, si legem abs justa causa remittat; facile apparet, quod nemo id absque peccato optare, aut petere queat §. 1261 *. Quod si tamen legis vinculum hac licet iniqua ratione efficaciter, & cum effectu dissolvatur, ea libertate quis recte utetur: dummodo juri naturali, & Divino satis cautum sit ea ratione, & moderatione, quam §. 1261 descripsi.

* Puta

- * Puta si de tua ratione minus valente Tibi probe conscius sis: in dubio autem negotium Re-
ctori candide exponere, & cum prompta obe-
diendi voluntate se ejus arbitrio permittere
utique improbum non est. Nisi forte res ita
instruatur, ut Princeps ad remittendam Tibi,
aut communitati legem justum majorum ma-
lorum metum pro ratione motrice debeat as-
sumere.

C A P U T XII.

De Consuetudine.

- §. 1263. *CONSUETUDO est lex moribus constituta. Est-
que genus legis non scriptæ. Quæ a sua causa est*
§. 1264. *Vel canonica, vel civilis; item generalissima,
generalis, specialis, vel specialissima.*
§. 1265. *Conditiones ad legalem consuetudinem requisitæ
parum definitæ sunt;*
§. 1266. *Et a diversis diversæ statuuntur: idque*
§. 1267. *Maximam partem fere pro arbitrio faciunt. Non
nihil securius hoc negotium ab ejus origine repetitur.
Et inprimis*
§. 1268. *Libera civitate populus æque per actus, quam per
voces legem ferre poterat. Et quia*
§. 1269. *Mutata forma regiminis hoc caput juris non muta-
tum, sed magis stabilitum fuit; ideo statuitur*
§. 1270. *Sequens regula: Tot, & tales actus modo inducunt
consuetudinem, quales in Democratia Romana ad sta-
tuendam legem suffecissent. Unde*
§. 1271. *Sequitur Imo, tot ad legem non scriptam, quot
§. 1195, & seq. ad legem scriptam conditiones re-
quirit. Atque insuper*
§. 1272. *IIdo Actus publicos; IIItio cum opinione obliga-
tionis; &*
§. 1273. *IVto A perfectâ communitate exercitos: Vto ta-
men alias conditiones non esse necessarias.*
§. 1274. *Omnes demum effectus,*
§. 1275. *Et rationes cessandi cum reliquis legibus commu-
nes habet consuetudo. Quæ,*
§. 1256. *Nisi pro corruptela damnata sit,*
§. 1277. *Insignem utilitatem affert Reipublicæ.*

§. 1263.

§. 1263.

Tandem præter leges scriptas dantur alia *non scriptæ*, ipso usu introductæ, quasque nomine LEGALIS CONSUETUDINIS indicamus §. 1193. Hanc jam definimus dicendo: *Consuetudo est jus*, id est lex, *moribus constituta*. Quæ quidem differt *1^{mo}*: a *traditione*; hæc enim jus prius existens nosse facit, consuetudo vero novum jus tanquam efficax causa constituit. Sed etiam, & quidem *secundo a præscriptione*, utpote quæ inducit jus inter privatos, estque modus acquirendi domini jure civili introductus, *in præm. in institut. de usucap.* consuetudo autem facit jus commune, estque vera lex, *l. 1. ff. de leg. item l. 32. eodem*. Unde alia est *secundum legem*, quando scilicet id, quod aliunde jam præceptum erat, etiam moribus firmatur *c. 3. distinct. 3.* Alia consuetudo est *præter legem*, cum ipso usu aliqua obligatio introducitur, quæ antea non dabatur *l. 32. ff. de leg.* Denique quædam est *contra legem*, dum nimirum moribus priori cuidam legi derogatur, aut ea etiam penitus tollitur, *c. ultim. de consuetud.* Et hæc consuetudinis divisio *ab eisdem effectibus* petita est.

§. 1264.

Dividitur tamen insuper a *causa sua*: & sic est vel *canonica*, vel *civilis*, prout

prout scilicet a sacra, vel politica civitate, aut communitate fuit introducta. Ex simili ratione modo est consuetudo *generalissima*, si in tota Ecclesia, vel Imperio, aut regno vigeat; vel *generalis*, si integram Regni Provinciam, vel in Ecclesia e. g. Archiepiscopatum afficiat; vel est *specialis*, quæ non nisi in parva, vera tamen communitate obtinet e. g. in oppido aliquo, *c. 19. de jurejurand.* Denique venit *specialissima*, quæ in communitate imperfecta (qualis est ea, quæ nullum superiorem jurisdictione publica instructum habet) e. g. in familia aliqua datur. Verum ultimi generis consuetudo non facit jus, licet aliquando pro argumento juris aliunde existentis sit. Imperfectæ enim adeo communitates præcepti tantum, non item legis (qualis utique est consuetudo §. 1263) capaces sunt: & fere patet ex *l. 13. ff. de usur.*

§. 1265.

Et hæc facilia sunt: verum conditiones ad legalem consuetudinem requisitæ dubio obnoxie, planeque incertæ sunt. Quibus enim dotibus ad efficiendam publicam legem præditos esse petes mores illius populi, cui sola obediendi gloria est relicta? quilibet fere diversas conditiones, & si id dicere non sit inverecundum, pro
arbi-

arbitrio statuit. De consuetudine quidem in jure Romano *titul. de leg.* aliquæ leges, & in jure sacro integer titulus *de consuetudine* existit: sed hæ ipsæ constitutiones de conditionibus legalis consuetudinis pauca, & non nisi obscura continentes in hoc negotio nos fere destituunt.

§. 1266.

Itaque aliqui plura capita, pauciora vero alii pro constituenda legitima consuetudine designant. Celebriora, ac magis consuetata sunt sequentia: *1^{um}*, ut non sit contra jus Divinum, & naturale: *2^{dum}*, ut bona populi fide (alii etiam malam fidem admittunt) consuetudo sit introducta: *3^{tium}*, ut per plures actus; & quod est *4^{um}*, ut legitimo tempore constituatur. De hoc autem tempore maxime dissident. Quia vero *c. ultim. de consuetud.* pro consuetudine requiritur, ut sit *legitime præscripta*: fere idem tempus pro consuetudine, quod ad præscriptionem requirunt; etsi non satis quantum ad hoc caput sibi consent.

§. 1267.

Primam conditionem certa ratio probat; cum enim consuetudo sit juris humani, ea contra leges divinas, & naturales nullam vim obtinet. Reliquæ vero con-
ditio-

ditiones fere pro arbitrio nobis describunt. Nam inprimis ex *c. ultim. de consuetud.* illas voculas: *Legitime præscripta* non recte captant, & ex iis consuetudinem cum præscriptione non deberent exæquare: cum præscriptum esse in jure, non semper denotet præscriptionem in communi sensu acceptam. Præterea cur consuetudo a præscriptione tempus duntaxat, vel etiam fors bonam fidem, & non insuper coloratum titulum, & plurimas alias condiciones mutuo accipit? Denique ex jure canonico naturam, & condiciones pro consuetudine non tuto, prout arbitror, colligemus: eoquod hoc juris genus ex legibus Romanis ortum in leges canonicas per imitationem, prout alia capita plurima, translatum esse videatur. Verum leges civiles præ canonicis paræ sunt in explicanda consuetudine: unde cum leges parum, aut nihil constituent circa eam, hujus juris natura ex prima ejusdem origine disci debet. Sequens enim propositio se ipsa fat certa videtur: *Qualibet res etiam tunc eas condiciones habere censetur, quas aliquando habuit, & exinde mutasse nullibi apparet.*

§. 1268.

Itaque libera civitate, id est, cum in Republica Romana summum Imperium penes

nes populum esset, vel per suffragia, & voces; vel per actus & mores leges condere pro arbitrio poterat dominans illa Natio; quod Jctus l. 32. ff. de legib. dicit, & simul opinioni meæ fundamentum præstruit: *Inveterata consuetudo pro lege non immerito custoditur: & hoc est jus, quod dicitur moribus constitutum. Nam cum ipsa leges nulla alia ex causa nos teneant, quam quod judicio populi receptæ sint: merito & ea, quæ sine ullo scripto populus probavit, tenebunt omnes, Nam quid interest suffragio populus voluntatem suam declaret, an rebus ipsis, & factis?*

§. 1269.

Forma regiminis Romæ mutata, & summa rerum ad Principem devoluta timide, & non nisi sensim caput Monarchia efferebat; adeo ut sub AUGUSTO etiam comitia durarent, & primum sub TIBERIO comitiis ex campo in Senatum translatis imperiosa illa populi Romani vox tandem conticuerit. Aliqua tamen libertatis umbra longe diutius perseverabat, Romanis identidem persuasis, se ideo Principem habere, ne Dominum paterentur. Et licet sensim plura, & tandem omnia ad solum jam Imperatorem delata fuerint; hi tamen circa jus consuetudinis nihil unquam mutasse leguntur.

guntur: cumque hoc jus jam nullum a populo robur accipere posset, illud jam Principes decretis, sententiis, ac scriptis legibus confirmarunt. Unde recte dicitur, illud hucusque durare, quod a sua origine nunquam mutatum fuisse legitur. *

* Ejusmodi innumera extant exempla. Sic quod testamenta solemnia in uno contextu fieri debeant, aliam originem non habet, quam quod testamenta primitus in comitiis calatis fieri solerent. Jam si comitia interrumpi contingerat, nihil in iis actum esse censebatur. Jam quid ad nos, & statum Monarchicum auctoritas, ac solemnitas comitorum romanorum? Et tamen illorum forma obtinet, quia ex leges a nostris Legislatoribus probatae, & confirmatae fuerunt. Neque hoc, aut aliud simile mirum alicui videbitur, postquam ex Prætura a fugitivo servo BARBARIO gesta legem habemus, quæ ipsum Sacramentum Pœnitentiæ efficax reddit. *Vid. l. 3. ff. de Offic. Prætor.* Item §. 785 **.

§. 1270.

Quare non adeo temerarius mihi videor, si ad definiendas legitimæ consuetudinis condiciones sequentem regulam statuas. *Ad inducendam consuetudinem tot, & tales populi actus necessarii sunt, qui in Democratia Romana ad constituendam legem suffecissent.* Ex hac jam regula

Pars III. Th. Mor. Ec §. 1271.

§. 1271.

Intelligitur *I^{mo}* omnes eas conditiones ad inducendum jus consuetudinis requiri, quæ ad aliam, & scriptam legem requiri supra §. 1195, & seq. dicebam. Nam ratio est evidens: quod Princeps, a quo nostra ætate consuetudo omnem suam efficaciam trahit, moribus subditæ sibi gentis non plus efficaciam, quam scriptis suis constitutionibus tribuere queat. Verum

§. 1272.

Ex eadem regula discitur *II^{do}*: requiri actus publicos, & a majori parte populi gestos. Quod enim clanculo fit *, aut a minore communitatis parte, id pro consensu populi accipi non potest. Sed insuper ex §. 1270 inducitur *III^{io}*, quod ejusmodi actus debeant vigere cum opinione legis, obligationis, juris &c. Nam per actus meræ facultatis nulla lex introducit: Sic e. g. omnes, aut certe major pars populi solemnibus ludis interesse solebat: & nemo exinde obligationem ejusmodi ludos frequentandi ex hoc inferebat. Sic licet major pars civium diebus etiam profestis Missæ Sacrificio, alicubi interesse soleat, nullum tamen exinde statutum nascitur.

* Sał.

Unde si negotium clam perfici exigat, de ipso usu publice constare debet. Sic Episcopi in foro conscientiae, & sic maxime secreto impedimenta Matrimonii relaxant aliquando, in quæ nullam habent alias potestatem, nisi a consuetudine. Nam necessitas licet maxima in legibus irritantibus nullius est roboris §. 1221.

§. 1273.

Præterea *IV^{ta}* consecutio habetur, quod actus ejusmodi debeant fieri in perfecta communitate, qualis est illa, quæ vel ipsamet, vel certe cujus Rector jurisdictionem saltem aliquam obtinet: alias enim non potest referre populum leges condentem. *Vtum* Tandem & ultimum ex nostra regula corollarium est, nec scientiam, aut specialem consensum Principis ad quamvis consuetudinem *, nec certum aliquod tempus **, nec bonam fidem, aut populi innocentem ignorantiam, aut alia a D. D. quibusdam requiri solita *** ad jus consuetudinis inducendum necessaria esse.

* Sufficit enim consensus legibus expressus, qua consuetudinem generatim probat. Unde abrogatio legis per conniventiam a consuetudine probe discerni debet. Tunc enim connivere dicitur Legislator, quando legem non observari probe guarus, tacet; cum tamen, quod probe advertendum, abs gravi periculo posset contradicere, non obsequentes punire &c. Sic enim permittendo legem per specialem consensum ab eo remitti, prudenter judicatur.

E e a

** Le

10 Leges enim aliquod definitum tempus nullibi exigunt. Equidem *longæ, inveteratæ, immemoriali* & ejusmodi consuetudini magnam vim tribuunt leges; nunquam tamen dicunt, consuetudinem debere *longam, longissimam, inveteratam* esse. Neque certum aliquod tempus natura, & origo consuetudinis involvit §. 1270; licet longus, ac diuturnus usus argumentum præbeat, quod aliæ ad consuetudinem requisitæ conditiones §. 1272, & 1273 adsint: e. g. quod actus a majore parte populi, & publice fieri soleant. Si vero de his conditionibus aliunde constet, argumentum hoc a tempore petitum non est necessarium.

Arrepta occasione juvat hic tempus *immemoriale* definire: eoquod tam in præscriptione, quam etiam in consuetudine tale tempus specialem non raro vim a legibus obtineat. Varii varie sentiunt: mihi sufficiat abs ullo argumento solam opinionem meam adscribere: itaque tempus *immemoriale* tunc habetur, quando aliquid usu, & opere tamdiu viget, ut de ejus contrario per vivam hominum memoriam non constet: e. g. si nullus in communitate existat, qui vel ipsemet viderit, vel a majoribus audiverit, quod aliter fieri consueverit. Si contrarium ex literis, lapidibus, aut quibuscunque monumentis sciatur, id immemoriali tempori non obest. E. g. avus meus narravit mihi adhuc puero, quod a suo proavo frequenter audiverit, per hunc tractum viam publicam sua ætate stratam fuisse. Hic nondum habetur tempus immemoriale, etsi duo sæcula inde jam fluxerint. Si vero in communitate nemo recordetur, neque a majoribus audiverit, viam per illam partem aliquando ductam fuisse, jam erit tempus immemoriale, etsi

etsi ex certis literis appareat, non nisi ante 70 annos viam publicam illam per alium tractum directam fuisse.

*** Nam circa hanc quoque conditionem leges silent: & Romæ aliquando non attendebatur, an errore aliquo, pravis quorundam exemplis, vel quacunque ratione factum fuerit, ut populus morem aliquem tandem pro lege susciperet. Per quod tamen nullatenus dixerim, primos, qui contra legem agunt, non peccare; actus enim contra legem tamdiu vitiosi sunt, donec lex multitudine actuum fuerit abrogata.

§. 1274.

Jam superest, ut de *effectibus* legitimæ consuetudinis tractem: quos quidem omnes brevi regula facile complectar. Scilicet consuetudo est vera lex §. 1263: ergo *omnes eos effectus habet, quæ legibus scriptis communes sunt*. Quare priorem legem, & obligationem modo abrogat; modo derogando quoad aliqua capita mitigat: nunc novam obligationem inducit, vel etiam actum aliquem omnino irritum reddit. Rursus est optima legum interpret; & ipsam non raro quoque jurisdictionem liberaliter tribuit: paucis a lege scripta, quantum ad effectus, & quantum ego novi, in nullo differt. Quæ quidem omnia diversis testimoniis ex sacro, & civili jure petendis ostendi possent: nobis tamen sat certa ex eo fiunt, quod consuetudo sit lex.

E e 3.

§. 1275.

§. 1275.

Verum ex eo ipso, quod consuetudo de genere legum sit, etiam ea intelliguntur, quæ eidem adversa sunt, sicque eam suo robore spoliant. Unde omnia, quæ de cessatione legum §. 1248, & deinceps tractata fuerunt, huc quoque pertinent. Neque lex scripta præ hac lege non scripta quidquam præcipui habet, aut contra novas leges, vel mores majus robur obtinet. Cumque tanta sit vis consuetudinis, novæ leges generales non tantum specialibus locorum constitutionibus, sed etiam specialibus consuetudinibus * caute derogare solent, eoquod lex generalis speciali juri æque parum queat derogare, sive specialis illa lex scripta, sive moribus duntaxat introducta sit. Scilicet quod jam iterato dictum fuit, lex scripta, & moribus introducta quantum ad causam, & conditiones, quibus constituitur, diversæ, quantum vero ad reliqua omnino pares sunt.

* Scilicet leges posteriores generales prioribus specialibus non solent derogare, nisi id specialiter novæ legi inseratur *c. de constitution. in 6.* Sic leges recentiores generales antiquas consuetudines non nisi generales abolent. Imo etsi efficax illa particula *non obstante quacunque locorum consuetudine* in lege addatur, attamen neque sic extinguitur consuetudo *immemorialis*, quia hæc singulari nota est digna, & sub generali vocabulo *quacunque consuetudine*

ne non comprehenditur: prout communis habet sententia, & ipse usus; quo Legislatores solent addere quacunque consuetudine, etiam immemoriali, quod non facerent, nisi hanc singulari mentione indigere vellent.

Præterea sub hac derogatione *non obstante quacunque consuetudine* non comprehenditur ea, quæ deinceps fors primum inducetur. Cum enim lex posterior generatim derogat priori, hæc consuetudo superveniens tanquam recentior lex priori derogabit. Si tamen lex illa prior insuper addat: *Non obstante consuetudine etiam deinceps inducenda*; tunc plerumque nulla (nisi fors immemorialis) ejusmodi legi derogare poterit: talis enim lex semper loquitur, & sic quavis consuetudine recentior manet.

§. 1276.

Hoc tamen solum consuetudo speciale habere videtur, quod ea non raro *tanquam corruptela*, & sic juri Divino, & naturali adversa esse *declaretur*. Quæ declaratio est vehementissima, & omnem consuetudinem etiam immemoriam, & deinceps inducendam tollit: eoquod nihil humani juris contra legem DEI, aut naturæ valere queat. Jus sacrum in ejusmodi declarationibus liberale est, quæ apud obvios facile inveniri possunt. Vincit tamen consuetudo etiam hanc vim sibi contrariam, si eæ circumstantiæ cessent, quæ ejusmodi usum juri naturali, aut Divino adversum esse faciunt.

§. 1277.

§. 1277.

Illud denique insigne commodum ex hoc jure consuetudinis in Rempublicam redundat, quod per eam copia, & acerbitas legum mitigetur. Nam si omnes constitutiones, quæ inde a condita Ecclesia a Generalibus, & aliis nostrarum Ecclesiarum Conciliis, a summis, & inferioribus Pontificibus editæ, & nondum retractatæ sunt, nos obstringerent, nemo sane ad tot obligationes sufficeret. Auget insuper communem molestiam numerus legum politicarum, quæ ex jure Gentium, Romano, Municipali, & libero Regentis arbitrio ab aliquot e. g. sæculis ortæ nobis imminet, & magis magisque semper accrescunt. Accedit, quod contra leges tanquam justo copiosiores, aut nimis arduas excipere minime liceat: si enim id in causa dubia, aut obscuro negotio, vel urgente quapiam difficultate permetteretur; omnis mox vis præcipiendi langueret, & sceptrum rectionis in manus obedientium collatum omni fere auctoritate destitueretur. Nunc vero ope consuetudinis nimis leges opportune ita antiquantur, ut eæ non privata auctoritate, sed ratione publica, & quam ipsæ leges invenerunt, quamque potestas gubernatrix consuetudines admittendo, juxta eas judicando &c. ipsamet probavit, obstringere desinant.

Finis Partis tertiæ.

loc
re-
di-
on-
a a
un
on-
at,
E-
re-
m,
vi-
ot
a-
t,
o-
i-

